4. 7. 299

Digitized by Google

DIRECTORIUM

AD RITE PERAGENDAS

MAJORIS HEBDOMADÆ

FUNCTIONES

IN MINORIBUS ECCLESIIS

earundem adjectis myſticis expoſitionibus

A LUCA JOSEPHO

CERRACCHINIO

IN UNIVERSITATE FLORENTINA S. T. D.

4
7
299

FLORENTIÆ, MDCCXXXVII.

Ex Typographia Franciſci Moücke.

Superioribus permittentibus.

ILLUSTRISSIMO DOMINO

DOMINO

VINCENTIO COLETTI.

F. M. S. P.

SElecta Rubricarum Dubia duobus tomis nuper a docto Viro Luca Joſepho Cerracchinio Sacræ

Theologiæ Doctore enucleata, ac eruditiſſimo Benedicto Coletti Patri tuo amantiſſimo dicata, ſuum invenere Mecœnatem, Parentem nempe tuum, qui eruditorum virorum amantiſſimus, & ſtudiorum zelator, domeſticis in laribus ſelectorum Librorum confertam congeſſit Bibliothecam; collectis undique pretioſiſſimis codicibus, qui Mehercule deperiiſſent irreparabili litteratorum detrimento, niſi eos Benedictus noſter de litteris optime meritus collegiſſet, ab oblivione vindicaſſet, & nunc apud ſe, tamquam ineſtimabilibus margari-
tis

tis, ſummâ vigilantiâ cuſtodiendis eis locum attribuiſſet. Prodiit in lucem nunc ejuſdem Authoris Directorium, olim alio titulo, Flores, nempe, Rubricarum inſcriptum, ad ritè peragendas Majoris Hebdomadæ functiones in minoribus Eccleſiis, earundem adjectis myſticis expoſitionibus, quod e manibus ipſius quaſi per vim ereptum, Tibi unico prælaudati viri Benedicti Filio, tamquam ſuo vere Mecœnati dicatum volo. Tu eâ quâ polles animi benignitate, ingenuitate, beneficentiâ, donum ſuſcipe; enim verò abs re non eſt tibi

hoc opus devovere, qui divina erga myſteria tanto exæſtuas amore, reverentiâ, devotione. Vale.

LECTORI
BENEVOLO.

HEbdomada Sancta varia ſortitur nomina apud antiquos Eccleſiæ Scriptores, a quibus, ut a Chryſoſtomo homiliâ 30. in cap. 10. Geneſis* Hebdomada major *appellatur ob ſanctiſſimum Dominicæ paſſionis Sacramentum ut ex Micrologo cap. 52. Nuncupatur ulterius* Indulgentiæ tempus *ob pœnitentes publicè abſolvendos, ut patet ex Honorio in Gemma lib. 3. cap. 72. Vocatur denique* pœnoſa & ſancta *ob Chriſti paſſionem & impios juſtificatos, ut ex Durando lib. 6. cap. 67.*, quia tunc præcipuè Dominus in ea laboravit, & pœnas ſubſtinuit recreando, ſicut in prima mundi hebdomada creando. *Ad recolenda igitur immenſa ac innumerabilia Dei beneficia, quibus nos inſtaurare dignatus eſt, convenientibus hiſce potiſſimum diebus*

in Eccleſiis Chriſtifidelibus neceſſe identidem eſt, ut divinæ actiones majori peragantur diligentia, & ſacra myſteria ferventiori tractentur devotione. Quoniam verò eæ ſacræ cæremoniæ, quas ad divina tractanda his potiſſimum ſanctiſſimis diebus Spiritu Sancto edocta Catholica adhibet Eccleſia ita obviæ non ſunt, ut majori non indigeant Miniſtrorum ſtudio ac diligentia, ut eâ quâ par eſt fiant ſedulitate ad excitandos fidelium animos tibi Lectori benevolo hocce præbeo Directorium ſacrarum Majoris Hebdomadæ functionum myſticis explicationibus illuſtratum; quod quidem ineditum libenti animo reliquiſſem, niſi Franciſci Moücke Florentini Typographi eruditiſſimi, atque amici mei jucundiſſimi eximia in me benevolentia atque authoritas, ut publici illud juris facerem quodammodo me reluctantem impuliſſet, & coegiſſet, illudque frequenter. En ergo prælo traditur, ut tanto viro

de me optime merito morem geram : & ne ulterius illud ipſi eveniat quod alteri exiguo laborum meorum operi evenit quod quidem a me compoſitum, Rubricis ornatum, atque cuidam Sacerdoti commodatum, anno ſequenti, me inſcio inconſultoque, Florentiæ impreſſum fuit, & publici juris factum, meum adamuſſim ſecundum exemplar ne dempto aut addito quidem jota uno vel apice uno, ſuppreſſò tamen ejuſdem Sacerdotis nomine, ad majorem credo ſuimetipſius modeſtiam. Quamobrem cum antiquo illo Poetarum Principe decantare mihi datum

Hos ego verſiculos feci, tulit alter honores

Sic vos non vobis nidificatis aves.

Quaecumque in Eccleſiaſticis officiis rebus aut ornamentis conſiſtunt divinis plena ſun: ſignis atque myſteriis, ac ſingula ſunt cœleſti dulcedine redundantia; ſi tamen diligentem habeant inſpectorem, qui norit mel de petra ſugere, oleumque de ſaxo duriſſimo.

Durand. in proœmio Rat. Divin. Offic.

CAPUT I.

Quæ præparanda ſint in minoribus Eccleſiis Dominicâ Palmarum pro benedictione Ramorum, proceſſione, & Miſſâ ſolemni.

NOmine minorum Eccleſiarum intelligimus eas omnes Eccleſias ſive Collegiatas, ſeu Parochiales, & Sanctimonialium, quæ minores dignitate quidem ſunt Eccleſiis Metropolitanis, & Cathedralibus quacumque in Diœceſi, in quibus ut opus Dei fiat diligentius operæ pretium duxi breviter, ac clariori methodo juxta Miſſalis ac Breviarii Romani Rubricas, quid ſingulis illis in functionibus ſit peragendum exponere, ducibus mihi atque auxilium præſtantibus non facili hac in provincia Michaele Bauldry, cujus Manuale in Epitomen redigam, Bernardo Biſſo, Bartholomæo Gavanto, inter ſacrarum Cæremoniarum Magiſtros ſanè eruditiſſimis ac facilè Principibus. Myſticis inſuper Rubricas ornabo expli-

cationibus, ut facilius memoriâ teneantur, ac eâ, quâ decet diligentiâ divina ſingula tractentur; quas myſticas explicationes adiciam non proprio marte erutas, ſed quas mihi Guilelmus Durandus Mimatenſis Antiſtes, Michael Gaetenſis, ac Martinus Eiſengrein cum cæteris ſacrarum Liturgiarum Magiſtris ac interpetribus ſuppeditaverunt.

Omiſſis ergo quæ in Collegiatis a Canonicis omittenda ſunt, cum circa genuflexiones, tum circa oſcula, quæ praxis docebit: præparentur primum Rami olivarum vel palmarum: iiſque deficientibus aliarum arborum rami — Ponantur ſuper credentiam in cornu Epiſtolæ, velo cooperiantur, ibique vel in Sacriſtia præparetur Thuribulum, Navicula cum incenſo & cocleari, vas aquæ benedictæ cum aſperſorio — Bacile cum medulla panis: buccale cum manutergio ad lavandas, & extergendas manus Celebrantis poſt diſtributionem palmarum — Præparetur unum vel tria legilia velis violaceis tecta, ſuper quæ cantetur Paſſio. — Tria vel unum Miſſale, vel tres aut unus Codex, in quo paſſio ſit notata in cantu diligenter. — Amictus, Albæ, Cingula, Manipuli, Stolæ totidem & Bireta pro cantoribus paſſionis. — Crux proceſſionalis velo tecta violaceo. — Ritualia pro proceſſione. — Miſſale pro Celebrante cum cuſſino vel legili. — Miſ-

ſale

ſale aliud pro Epiſtola & Evangelio. —— Candelabra pro Ceroferariis ſeu Acolytis. —— Pluviale violacei coloris pro Celebrante, Amictus, Alba, Cingulum, Manipulus, Stola, Caſula, Biretum pro eodem Celebrante. —— Amictus, Alba, Cingulum, Manipulus, Stola ſimplex, Stola latior ſeu jugum, Planeta plicata cum Bireto pro Diacono. —— Amictus, Alba, Cingulum, & Manipulus, Caſula plicata cum Bireto pro Subdiacono. —— Amictus, Alba, Cingulum & Biretum cum Pluviali violacei coloris pro Miniſtro, ſi adſit, vel ſuperpelliceum cum Pluviali & Bireto, alioquin etiam ſine Pluviali cum ſolo Superpelliceo, & Bireto deficiente Pluviali. —— Pluvialia cum Superpelliceis & Biretis pro Cantoribus, ſi adſint. —— Vas cum carbonibus ardentibus pro Thuribulo. —— Velum, quo cooperiantur Rami palmarum. —— Velum humerale pro Subdiacono. —— Pelvis cum mappula & ampullis vini & aquæ. —— Calix cum hoſtia ſuper patenam, purificatorio, velo, corporali in burſa pro Miſſa. —— Liber coralis cum notis ſuper Legile.

CA-

CAPUT II.

Quæ agenda ſint in Benedictione Palmarum, earumque diſtributione.

A Dominica Palmarum ſive Florum, ſeu Ramorum, quæ aliis inſignitur nominibus, nempe Paſchatis Petiti, ſive Competentium ſymboli ante Baptiſmum, & Capitilavii; quia hac die ut ex Iſidoro lib. 1. cap. 27. ungendorum in Sabbatho Sancto capita lavabantur propter multiplicia ejuſdem Dominicæ privilegia, Hebdomadæ majoris exordium ſumimus. Primo quia hic die filii Iſdrael in terram promiſſionis intraverunt, & Jordanem ſicco veſtigio tranſiverunt, ſic enim contigit, ut eo anno tot dies fuerint uſque ad Paſcha quot ſunt ab hac Dominica. Secundo quia hac die veniens Dominus de Bethania cum honore maximo in Hieruſalem ſuſceptus eſt. Tertio quia eadem die Dominus a templo ementes & vendentes ejecit, ut ex Durando lib. VI. cap. 67. num. 19.

Horâ ergo competenti, vel circa finem Tertiæ in Collegiatis, accenſis per Acolithos ſex vel quatuor luminibus, procedunt ad altare; Acolythus cum vaſe aquæ benedictæ, ut fiat ſuper populum aſperſio, quæ quidem ſaltem in Collegiatis facienda eſt. —— Deinde duo Ceroferarii

cum candelis accenſis. —— Clerici & Sacerdotes bini & bini. —— Mox Miniſter ſi adſit cum pluviali. —— Ultimo loco Sacerdos paratus Amictu, Albâ, Cingulo, Stolâ, & Pluviali violacei coloris; alioquin ſine illo (1) —— Diaconus & Subdiaconus Sacerdoti Pluvialis fimbrias hinc inde elevantes, & ipſi cum Manipulis (2) & cum Plicatis (3) —— Sacerdos ergo inter Subdiaconum & Diaconum Altari facientes debitam reverentiam genuflectendo, ſi adſit in Tabernaculo Sacramentum, quod ſane deberet removeri, & in alio altari collocari; niſi verò ſit Sacramentum, Sacerdos profundè aperto capite ſe ſe inclinat, Subdiacono & Diacono unico genu genuflectentibus —— Ceroferari candelabra ponunt ſuper credentiam, vel locis ſuis aptant —— Fit aſperſio de more, & ipsâ completâ cum repetitione Antiphonæ *Aſperges*, ſine tamen ℣. *Gloria Patri* (4) cum ſuis verſiculis & oratione, Sacerdos aſcendit ad altare, & illud oſculatur in medio (5) genuflectentibus Miniſtris ſacris in locis ſuis. —— Per Sacriſtam vel ab alio diſcooperiuntur Rami palmarum, ſeu olivarum, (6) & his deficientibus, aliarum arborum Rami. (7) —— Tunc Sacerdos accedit ad cornu Epiſtolæ cum Miniſtris. ibique legit Antiphonam *Hoſanna* non ſe ſignans. (8) —— Cantatâ Antiphonâ a choro non vertens ſe ad populum, non extendens manus,

ſed

ſed iis ante pectus junctis dicit *Dominus vobiſcum*, & orationem, manibus ſimiliter junctis, & non expanſis. (9) —— Subdiaconus depoſitâ plicatâ (10) accepto Miſſali, ac factâ genuflexione Altari, comitatus a Cæremoniario ſeu Acolytho in loco conſueto cantat Lectionem de libro Exodi (11) quam Celebrans ſi velit ſubmiſsâ voce, aſſiſtente ſibi Miniſtro ſi adſit, & Diacono legit, & in fine reſpondetur *Deo gratias* —— Subdiaconus Epiſtolâ ſeu lectione decantatâ cum debitis altari genuflexionibus vadit ad Celebrantem in cornu Epiſtolæ ibique genuflexus a Celebrante cui manum dexteram oſculatur benedictionem accipit, & tradito Miſſali Diacono Plicatam reaſſumit. (12) —— Sacerdos lectâ lectione & Graduali *Collegerunt*, vel alio *In Monte Oliveti*, quæ omnia legere eſt ei liberum, (13) ibi in cornu Epiſtolæ, non in medio Altaris, in quo quidem non pauci errant, dicit *Munda cor meum:* petit benedictionem; *Jube Domine benedicere;* legit Evangelium ſignans librum & ſe ipſum in principio; non tamen in fine librum ſuum Evangeliorum deoſculatur. —— In fine a Miniſtris ſacris reſpondetur: *Laus tibi Chriſte*. —— Dum Celebrans legit Evangelium in cornu Epiſtolæ, Diaconus depoſitâ plicatâ, ac ſumptâ ſtolâ latiori, vel etiam ſuper humerum ſiniſtrum convolutâ eâdem plicatâ (14) ponit librum Evan-

geliorum in medio Altaris. (15) —— Sacerdos ſtans in cornu Epiſtolæ verſus ad populum ponit incenſum in Thuribulo miniſtrante Diacono naviculam, & illud benedicit. —— Diaconus genuflectens dicit: *Munda cor meum.* (16) —— Accipit librum Evangeliorum (17) & converſus ad Celebrantem benedictionem petit. (18) —— Sacerdos autem datâ benedictione Diacono porrigit eidem manum dexteram deoſculandam. (19) —— Diaconus cantaturus Evangelium, quod portat ante pectus (20) medius inter duos Ceroferarios cum candelis accenſis (21) prævio Acolytho cum incenſo (22) ſignat prius librum, præmiſſo *Dominus vobiſcum* ad excitandum populum, & *Sequentia &c.* (23) deinde cum aliis omnibus de Choro ſignat ſe in fronte, in ore, in pectore, (24) —— incenſat librum. (25) —— cantat voce alta Evangelium. (26) —— Completo Evangelio Subdiaconus defert librum Sacerdoti oſculandum, nullam faciens nec Altari nec Sacerdoti reverentiam, quod valde notandum eſt, etiamſi in altari eſſet expoſitum Auguſtiſſimum Sacramentum, in quo quidem multi errant. —— Sacerdos dicens: *Per Evangelica dicta* deoſculatur librum (27) in eodem loco ubi ſtetit in cornu Epiſtolæ converſus ad Diaconum cantantem Evangelium. (28) —— His peractis incenſatur a Diacono Sacerdos triplici ductu.

ſtu. (19) — Deinde benedicit Ramos palmarum & olivarum ad eos aliquantulum converſus, ſtantibus Miniſtris Sacris hinc inde quaſi in linea in cornu Epiſtolæ, manibus junctis — dicit *Dominus vobiſcum*, orationes, & Præfationem cantat in tono feriali, manibus ad hæc omnia junctis, non expanſis, & cum facit ſignum Crucis ſuper ramos, ſiniſtram manum ſuper Altare ponit; dexterâ benedicit; elevatâ tantiſper a Miniſtro, ſi adſit, alioquin a Diacono, fimbriâ anteriori Pluvialis. — Ad Triſagium *Sanctus, Sanctus, Sanctus &c.* in præfatione Miniſtri in eodem loco ubi erant ſe ſe inclinant cum Celebrante manibus ante pectus junctis, & illud dicunt cum eo, & ad ea verba *Benedictus &c.* erecti ſe ſignant. — Completis orationibus benedictionis, poſito a Celebrante in thuribulo incenſo ac benedicto, ter aſpergit aquâ benedictâ, ſubmiſſa voce, dicendo: *Aſperges me*, & ter: *Adolet thure ramos palmarum*. — Deinde in cornu Epiſtolæ dicto *Dominus vobiſcum* cantat in tono feriali orationem *Deus qui filium tuum*. — Eâ completâ ad medium Altaris accedens converſus ad populum, ſtans nudo capite, medius inter Diaconum a ſiniſtris & Subdiaconum a dextris, a digniori Sacerdote in habitu corali cum debitis reverentiis accipit Ramum olivæ, quem ipſe exoſculans alicui ex miniſtris tradit conſervandum.

Dia-

Diaconus Ramos ſibi oblatos a Sacriſta, vel Thuriferario ſine oſculis accipit, & eos cum oſculis Celebranti offert, oſculando tantum ramos non manum. — Tum Sacerdos ramos diſtribuit primum digniori, a quo ipſe recepit, tum Miniſtris ſacris, deinde Sacerdotibus per ordinem, mox Acolythis altari miniſtrantibus, tum aliis Clericis ſi adſint, noviſſimè laicis. — Singuli accipientes a Sacerdote ramum palmarum benedictum genuflexi oſculentur prius ramum benedictum, inde manum Celebrantis. — Inchoatâ diſtributione, in choro cantatur Antiphona: *Pueri Hæbreorum* (30). — Factâ diſtributione palmarum etiam laicis, vel per Celebrantem, vel ubi magna eſt fidelium multitudo etiam per alium, vel plures Sacerdotes ſuperpelliceo & ſtola violacei coloris indutos, quibus Acolythus, vel plures, præbeant ramos diſtribuendos, cum oſculis ipſorum ramorum tantum, & non manuum Sacerdotum diſtribuentium, Thuriferarius præparabit Thuribulum. — Mox Celebrans in cornu Epiſtolæ lavabit manus, & tandem ibi manibus ante pectus junctis, dicet *Dominus vobiſcum* & orationem *Omnipotens ſempiterne Deus &c.* in tono feriali.

MY-

MYSTICÆ EXPOSITIONES.

[1] *Violacco enim colore utimur, qui pallidus, & quaſi lividus eſt; ut caro noſtra his diebus macerata, & quaſi livida effecta conformetur livoribus Chriſti, cujus livore ſanati ſumus.* Durand. l. 3. cap. 18. n. 10.

[2] *Quia ad benedictionem palmarum cantaturi ſunt Epiſtolam & Evangelium.* Gav. Part. IV. tit. 7. num. 7. lit. a.

[3] *Et cum plicatis; Planetis enim Diaconus & Subdiaconus utuntus; ut myſticè intelligant his diebus Miniſtros teneri ad eandem perfectionem, ad quam Sacerdotes aliis temporibus, & cum Caſula denotet charitatem, ſciant non ex timore, ſed ex charitate debere altari miniſtrare.* Durand. lib. 2. cap. 9. n. 4. Gavant. p. 1. tit. 19. num. 6. lit. f.

[4] *Sine tamen Gloria; qua ſemper omittitur tempore paſſionis.* Rub. Miſſ.

[5] *Oſculatur Altare; quia ex Innocentio III. ſicut Altare Chriſtum deſignat; ita Celebrans meminiſſe debet deſiderii, & amoris ſponſa: oſculetur me oſculo oris ſui. Et quia hac cæremonia eſt omnibus Sacerdotibus communis, caveat unuſquiſque ne in tali oſculo audiat vocem illam: oſculo filium hominis tradis.* Gav. part. 2. tit. 4. num. 1. lit. d. Durand. lib. 4 cap. 9. *Hunc oſculum Altaris ſignificare voluit, quod Chriſtus ad nos*

ve-

veniens ſanctam ſibi copulavit Eccleſiam.

[6] *Palmarum & olivarum rami principaliter benedicuntur; quia per palmam denotatur victoria paſſionis, & per olivam ſpiritualis unctio, ſeu pinguedo miſericordiæ, quæ per paſſionem nobis communicatur.* Quar. tit. 2. ſect. 3. præl. 2.

[7] *Aliarum arborum; defectu palmarum ſeu olivarum ponuntur rami vel cedri, vel cupreſſi; quia triumphum celebramus Chriſti, cujus Crucem his præcipuè arboribus compoſitam fuiſſe teſtatur* Gloſſ. in Clement. 1. de Summa Trinitate. *Cum ergo triumphale Chriſti vexillum ſit Crux; meritò ramis prædictis celebratur Chriſti tryumphus.* Quart. de Bened. tit. 2. ſect. 3. prælud. 2.

[8] *Non ſe ſignans.* Bauldry de Dom. Palm. cap. 6. art. 11. num. 111., *non eſt enim Introitus Miſſæ.*

[9] *Manibus junctis & non expanſis; neque ad Dominus vobiſcum, neque ad oremus, neque ad orationem deducit manus ſed junctas eas tenet ante pectus, quod etiam in reliquis obſervatur quando ſumus extra Miſſam, niſi Rubrica aliter præcipiat.* Gav. in Rubr. Miſſ., Cær. Epiſcop., Caſtald., Corſettus. *In orationibus autem nihil eſt mutandum, neque detrahendum, licet benedicantur aliarum arborum, & non palmæ aut olivarum rami, quia hi arborum rami ſuccedunt palmarum loco, & a populo hodie vo-*

vocantur palmæ. Gavant. part. 4. tit. 7. num. 11.

[10] *Depoſitâ plicatâ; ut ſignificet in proprio Miniſterio legendi eam non eſſe propriam veſtem*. Gav. Part. 1. Tit. 19. num. 6. lit. g. Rupert. lib. 3. cap. 2. *Subdiaconus quidem dimittit Caſulam, quæ charitatem denotat lecturus Epiſtolam, quæ ſignificat legem veterem, legem timoris non amoris*. Gavant. ibid.

[11] *Lectiones dicuntur in diebus luctus*. Gavant. ibid. tit. 10. num. 1. lit. a.

[12] *Plicatam reaſſumit; ad denotandum, quod poſt legem timoris data eſt lex charitatis per Caſulam ſignificata*. Gavant. p. 1. tit. 19. num. 6. litt. h.

[13] *Non enim pertinent ad Miſſam, excepto tantummodo Evangelio Cum appropinquaſſet*. Biſſus.

[14] *Diaconus accipit ſtolam latiorem, vel eandem Caſulam complicatam ſuper humerum ſiniſtrum, ut quæ ore prædicat jugum Domini portans, opere quoque impleat*. Gavant. ibid.

[15] *Librum Evangeliorum ponit in medio Altaris; propter magnam venerationem quæ debetur libro Evangeliorum, qui in antiquis Conciliis in ſede nobiliori & mediâ inter Epiſcopos collocabatur, ut ſcribit* Baronius ad ann. 325. num. 60. *per hæc verba: In medio ejuſdem conſeſſus Concilii Nicæni poni ſolitum erat ſacroſanctum Evangelium, in quod vultus*

omnium

omnium converſi eſſent ; liber ergo ille in ſede regia collocatus , divinam præſeferebat perſonam , ſecundum illud pſalmi : Deus ſtetit in ſinagoga Deorum , in medio autem Deos dijudicat.

[16] *Dicit : Munda cor meum ; ut ſacroſanctum Evangelium dignè valeat nunciare ; quia puteus aquarum viventium, ideſt Evangelica prædicatio , non fluit impetu , ideſt liberè , niſi de Libano , ideſt de corde puro & ore candido .* Durand. lib. 4. cap. 24. num. 9.

[17] *Accipit de altari librum Evangeliorum ; vel quia Apoſtoli de Altari Evangelium accipiebant , cum prædicantes paſſionem Chriſti Evangelizabant ; vel quia Altare in hoc loco ſignificat Judæos , a quibus transfertur Regnum Dei , & datur genti facienti fructum ejus .* Durand. lib. 4. cap. 24. num. 5.

[18] *Benedictionem petit ; quia nullus debet prædicare niſi mittatur , juxta illud : Quomodo prædicabunt niſi mittantur .*

[19] *Oſculatur dexteram manum Celebrantis ; quia prædicator evangelizare debet pro gloria æterna , de qua ſponſa dicit : Dextera illius amplexabitur me .* Durand. lib. 4. cap. 24. num. 4.

[20] *Portat Evangelium ante pectus ; ut intelligat prædicatorem verbi Dei debere prius illud habere ante oculos , in corde , & in manibus , quam in ore .* Rubeus lib. 2. cap. 33.

[21] *Medius inter duos Ceroferarios; cum duobus cereis accenſis per quos deſignantur duo teſtamenta, quibus genus humanum illuminatur, vel lex & prophetæ.* Durand. lib. 4. cap. 24. num. 11. ad 15.

[22] *Prævio Thuriferario; quia prædicator debet odorem bonæ opinionis ex ſe mittere; juxta illud Apoſtoli: Chriſti bonus odor ſumus in omni loco.* Durand. ibid. num. 11. ad 15.

[23] *Signat librum; quaſi dicens, hic eſt liber Crucifixi.* Gav. part. 2. tit. 6. num 2. lii. n.

[24] *Deinde cum omnibus aliis ſignat ſe; tam Diaconus quam alii ſignant ſe in fronte, ut Evangelium Chriſti non erubeſcamus: in ore, ut ſemper Dei verba loquamur: ac demum in pectore, ut ſemper in corde Evangelii verba ſervemus.* Durand. ibid. num. 27. 28.

[25] *Incenſat librum, & ad majorem ſolemnitatem, & ad venerationem Chriſti in ejuſdem verbis evangelicis, & ad inimici nequitiam propellendam.* Serran. in expoſit. Miſſæ num. 85.

[26] *Cantat voce alta, juxta illud propheticum: Supra montem excelſum aſcende tu, qui Evangelizas Syon: exalta in fortitudine vocem tuam.* Durand. ſup. lib. 4. c. 24. num. 18.

[27] *Deoſculatur librum, ad ſignificandum affectum amoris ad Chriſti Evangelium, qui præcipue in Sacerdotibus vigere debet.* Serran. num. 88. [28]

[28] *Reſpicit verſus Diaconum cantantem ad notandum quod Chriſtus prædicatores Evangelii ſemper ad adjuvandum reſpicit*. Durand. ibid. n. 25.

[29] *Incenſatur Sacerdos, qui Chriſtum deſignat, ad oſtendendum quod Sacerdotis maximè officium eſt orationis ignitum ſacrificium quod per incenſum ſignificatur Chriſto offerre in gratiarum actionem, cui poſt Evangelium dicitur: Laus tibi Chriſte*. Durand. ibid. num. 34.

[30] *Cantatur antiphona Pueri Habreorum; ut Fideles illam audientes, dum palmas accipiunt, procurent ſpiritualiter imitari materiales illius Puerorum & Habreorum Chriſto occurrentium cæremonias. Pueros enim imitamur ſi cum ſimplicitate procedimus; Ramos olivarum portamus ſi pacem ſervamus, & opera miſericordiæ exercemus; Palmas tenemus ſi vitia blanda ſuperamus. Veſtimenta proſternimus ſub Chriſti pedibus, ſi per macerationem carnis corpus ſpiritui ſubijcimus; Ramos cædimus de arboribus in obſequium Chriſti, ſi dictis, & exemplis Sanctorum, qui arbores ſunt dantes fructum in tempore ſuo, inhærentes eorum ſequimur doctrinam, & virtutem imitamur*. Quart. de benedict. lib. 2. ſect. 3. prælud. 2.

CAPUT III.

Quæ agenda ſint in Proceſſione Dominicæ Palmarum.

COmpletâ oratione in Miſſali appoſitâ poſt diſtributionem Palmarum, accedit Sacerdos ad medium Altaris, ubi miniſtrante Diacono Naviculam, incenſum ponit in Thuribulum & benedicit. — Diaconus & Subdiaconus deponunt Manipulos (1) — Subdiaconus Miſſæ: ipſe & non alius accipit Crucem proceſſionalem & medius inter duos Ceroferarios præcedente Acolytho Thuribulum fumigans movente (2) — Diaconus tradito Ramo Olivarum Celebranti cum debitis oſculis ſumptoque ſimiliter Ramo ſuo verſus ad populum altâ voce dicit: *Procedamus in pace*, cui Chorus reſpondet: *In nomine Chriſti, Amen*. — Cruci Proceſſionali & Altaris in ſummitate figatur Ramus Palmarum (3). — Procedit Subdiaconus cum Cruce ad portam Eccleſiæ (4) — Procedant inde bini & bini. Qui a dextris ſunt proceſſionis, Ramum dexterâ teneant, qui a ſiniſtris, ſiniſtrâ, alterâ manu Rituale Romanum tenentes (5). — Intonatur a Cantoribus Antiphona *Cum appropinquaſſet &c.* (6) — ipsâ completâ aliæ Antiphonæ cantantur ex

ex Rituali : eas etiam ſi opus fuerit repetendo. — Quatuor aut duo Cantores intrant in Eccleſiam, cujus fores claudunt (7) — remanet reliqua Proceſſio extra Eccleſiam. — Subdiaconus deferens Crucem ſiſtit ſe verſus portam Eccleſiæ, medius inter duos Ceroferarios, tenens imaginem Crucifixi verſus Celebrantem converſam — Chorus in duas partes foris dividatur a dextris & a ſiniſtris, vel in modum circuli diſponatur medium tenens Celebrantem cum Diacono a ſiniſtris. — Cantores intra Eccleſiam incipiunt in ſuo tono verſum: *Gloria laus &c.* quem cantant ipſi integrum etiam cum verſu ſequenti: *Cui puerile decus* — Celebrans tecto capite, cæteri, vero nudo, eoſdem verſus repetunt. — Deinde Cantores qui ſunt in Eccleſia alios duos verſus ſequentes cantant, repetentibus ſemper qui ſunt extra Eccleſiam primos verſus: *Gloria laus &c. Cui puerile decus &c.* Notandum quod illi verſus, omnes debent cantari non duo vel tres ad eſpediendam functionem ut nonnulli faciunt. — Cantatis omnibus illis verſibus Subdiaconus imâ parte haſtili Crucis percutit portam Eccleſiæ, eaque ſtatim per Cantores qui ſunt intra aperitur & cantando Antiphonam *Ingrediente Domino* Proceſſio Eccleſiam ingreditur (8). — Cum pervenerint Miniſtri Sacri ad Altare, Subdiaconus depoſitâ Cruce in loco ſuo pro-

pè credentiam ſumit Manipulum, quem aſſumit & Diaconus. —— Celebrans depoſito ramo Palmarum, depoſito Pluviali, ſumptoque Manipulo induitur Caſulâ, & inchoatur Miſſa ſolemnis, quam celebrabit ſemper ille idem Sacerdos qui Ramos benedixit. —— Si in hujuſmodi functione Miſſæ ſit Miniſter cum Pluviali, aut etiam ſine eo cum ſuperpelliceo, ipſe peragat, quæ muneris ſui ſunt.

Fit benedictio, proceſſio, & Miſſa, & in his fuiſſe recole decimam Lunam hac die, quâ ducebantur agni in domos immolandi in Paſchate. Exodi 12. *Et ecce Chriſtus Agnus Dei portatur ad victimam*, ex Amalario lib. 1. cap. 10. *Unde partim lætitiæ ob palmas, victoriæ ſymbolum, partim mœroris hac eſt dies in qua Agnus in Hieruſalem ad occiſionem ducitur.* Ulterius

Facit Eccleſia hac die proceſſionem corporaliter & ſpiritualiter. Exierunt enim pueri extra caſtra obviam Domino venienti de Bethania in Jeruſalem. Nos ſimiliter debemus extra caſtra, ideſt extra delicias carnis exire obviam ei, ſicut dicit Apoſtolus: Exeamus extra caſtra improperium ejus portantes, & ſicut illi ſic nos in proceſſione noſtra cantemus Hoſanna; unde in egreſſu de Eccleſia cantatur Antiphona Pueri Habreorum, & nos debemus eſſe pueri, ideſt innocentes, & debemus eſſe pueri Habreorum, ideſt tranſilientium omnia terrena ſive peccata. Durand. lib. VI. cap. 67. num.

num. 8., vel ex Joanne Beleth. *In hac benedictione, proceſsione & Miſſa recole humilitatem Chriſti qui ſedens ſuper aſinam & pullum ingreſſus eſt in Hieruſalem, ibidem poſt aliquot dies agnus in Cruce mactandus. Proceſsio tamen fit hodierna die in memoriam triumphalis ingreſſus Chriſti in Jeruſalem, ut ex ipſa Palmarum benedictione, & antiphonis, & reſponſoriis, quæ in ea, & in proceſsione cantantur apertè patet.*

MYSTICÆ EXPOSITIONES.

[1] *Deponunt Manipulos, quia ſunt extra Miſſam.*

[2] *Fumigans Thuribulum movente; quaſi Crucifixo ſequenti viam ſternendo, vel quaſi Chriſtus poſt ſe ſequentes trahat in odorem unguentorum ſuorum.* Gav.

[3] *Cruci proceſsionali figatur palmarum ſeu olivarum ramus; omnem enim virtutum virorem a Crucifixo habemus.* Durand. lib. 6. cap. 67. num. 8.

[4] *Procedit ad portam Eccleſiæ portans Crucem; Regale vexillum & triumphale ſignum portans, ut fugiant qui oderunt eum a facie ejus.* Durand. lib. 4. cap. 6. num. 18.

[5] *Portantur rami palmarum, non ſolum in memoriam earum, quas portantes pueri Hebreorum obviaverunt Domino, ſed etiam ut myſticè moneamur in his*

præcipuè diebus nos debere juſtè & piè vivere, & in Dei ſervitio proficere. Ex qualitate palmarum ſecundum divum Gregorium deſignatur proficiens vita juſtorum. Durand. lib. VI. cap. 67. n. 5.

[6] *Cantatur Antiphona Cum appropinquaſſet; quaſi ingreſſum Chriſti in Jeruſalem actu repræſentantes.*

[7] *Fores Eccleſiæ clauduntur, ad ſignificandum quod ante Chriſti paſsionem Angeli in cœlo manebant, ſed aditus hominibus erat præcluſus.* Dur. ibid. num. 7.

[8] *Poſtea aperitur, & intrat proceſsio. Chriſtus enim per ſuam paſsionem pro ſe & ipſum ſequentibus januas cœli aperuit.* Durand. ibid. num. 7.

CAPUT IV.

Quæ agenda ſint in Miſſa ſolemni Dominicâ Palmarum.

MIſſa ſolemnis hujus Dominicæ primi ordinis ſeu primæ claſſis, in multis quidem differt a Miſſis aliarum ſolemnitatum propter textum paſſionis Chriſti quæ in ipſa cantatur, cæterum in omnibus concordat, quæ in aliis Miſſis ſolemnibus fieri decreverunt Rubricæ Miſſalis Romani.

In primis, in Miſſa ab omibus cum Sacerdote & Miniſtris ſacris ac cæteris de Choro

ro dum cantatur Paſſio, tenentur in manibus Palmæ ſeu rami Olivarum (1). —— Cum a Subdiacono in Epiſtola cantatur *In nomine Jeſu omne genufle&tatur*, omnes genufle&unt unico genu etiam Celebrans (2) dummodo tunc non legat aliquid de Miſſali, nempe vel ipſam Epiſtolam vel Tra&um.

In Miſſa Epiſtola deſumitur ex cap. 2. ad Philippenſes Fratres hoc enim ſentite in vobis, *in qua oſtenditur paſſio, & fru&us paſſionis; dicit ergo hoc enim ſentite in vobis quod & in Chriſto Jeſu. Ideſt immitamini ipſum ut ſicut habuit Charitatem, qua voluit pati, ita & vos habeatis Charitatem, qua patiamini omnia tormenta temporalia ut habeatis humilitatem, qua in Chriſto maxime fuit, manſuetudinem & patientiam, & intelle&um realem ut ſentiatis; cito enim ſentitur dulcedo Spiritus Sancti in Corde*. Durand. libro VI. cap. 67. num. 13.

Circa finem Tra&us præcedentibus tribus Clericis, manibus ante pe&us jun&is procedant ad cantandam Paſſionem vel ad legilia, vel ſupra ambonem, ſeu pulpitum; primò qui partes Evangeliſtæ agit portans ante pe&us Evangeliorum librum, vel codicem Paſſionis cum notis: deinde ſequatur ille qui Turbarum partes agit, ultimo ille qui Chriſtum repræſentat cum ſuis Miſſalibus vel ſine illis, manibus ante pe&us jun&is. —— Ante Altare hi tres

cantaturi paſſionem, ſcilicet, qui Chriſtum agit, in medio, qui turbas repræheſentat a ſiniſtris illius, ille verò qui Evangeliſtæ vices gerit a dextris rectâ lineâ diſpoſiti genuflectunt unico genu, & factâ Celebranti reverentiâ, qui idcirco eos invicem ſalutaturus ſeſe ad ipſos convertit in loco Epiſtolæ rectâ lineâ cum Miniſtris ſuis. —— Procedunt inde ad legilia velis tecta violaceis, vel ad legile, vel ambonem, ſeu pulpitum ſimili velo coopertum, ubi ſic diſpoſiti cantent Paſſionem. —— Evangeliſta in medio, qui Chriſtum repræheſentat ad dexteram illius, qui Turbas a ſiniſtris. —— Ad Paſſionem non petitur benedictio (3). —— Non deferuntur Luminaria (4). —— Non adhibetur Incenſum (5). —— Incipitur Paſſio abſolutè, & non præmittitur *Dominus Vobiſcum* (6). —— Cum inchoatur Paſſio a Cantoribus Celebrans ſiniſtrâ tenens palmam ſeu ramum olivarum in cornu Epiſtolæ legit paſſionem ſubmiſsâ voce (7) aliquantulum converſus ad Cantores. —— Similiter Miniſtri ſacri, cæterique omnes palmarum ramum ſiniſtrâ tenent (8). —— Sacerdos cum ad mortem Chriſti pervenerit eam legendo e ſuo Miſſali non genuflectit, ſed cum ipſis Cantoribus genuflectere debet, cum ipſi ad mortem Jeſu pervenerint. —— Proſequitur tamen legere in eodem cornu Epiſtolæ cætera de Paſſione uſque ad eam partem, quæ ſtat loco

co Evangelii excluſivè. — Lecta tota Paſſione Celebrans & Miniſtri ſacri in linea unus poſt alium in eodem cornu Epiſtolæ ſe ſe convertant ad Cantores, manibus Ramos tenentes. — Cum a Cantoribus nominatur nomen Jeſu verſus Crucem Altaris ſe ſe inclinent. — Ad verba *emiſit ſpiritum* præventivè Celebrans cum omnibus Miniſtris ſacris, Cantoribus, omnibuſque de choro, cum cæteris fidelibus cujuſcumque ſint dignitatis ac præeminentiæ utroque genu genuflectant (9) nec ſurgendum eſt niſi poſt ſpatium unius Pater noſter, *ex Ceremoniali Marcelli lib. 2. Cap. 39.* — Poteſt Sacerdos genuflectere, vel in eodem cornu Epiſtolæ ſupra ſuppedaneum ubi legit paſſionem, vel etiam ante illa verba, *Jeſus autem*, accedere poteſt ad medium altaris, & deſcendens a ſuppedaneo ſuper illud genuflectere, medius inter Diaconum a dextris & Subdiaconum a ſiniſtris, qui genuflectent tamen non ſupra ſuppedaneum, ſed in gradu inferiori immediatè poſt ipſum *juxta opinionem laudatiſſimorum virorum Michaelis Bauldry, & Biſſi tom. 2. pag. 255.* — Poſt genuflexionem in morte Chriſti Subdiaconus portat Miſſale a cornu Epiſtolæ ad cornu Evangelii. (10) — Celebrans in medio altaris dicto: *Munda cor meum & Jube Domine benedicere*, non ſignans librum nec ſe ipſum, legit eam partem Paſſionis quæ habetur loco Evan-

gelii, aſſiſtente ſibi Diacono, & Subdiacono de more. — Dum Celebrans dicit, *Munda cor meum* Diaconus deponit Planetam plicatam, & ſumpta ſtola latiori, niſi prius eam induerit, vel cum plicata ipſa ad humerum convoluta, acceptum librum Evangeliorum ponit in medio Altaris, ita ut liber qua parte aperitur reſpiciat Crucem (11) accedit ad cornu Evangelii ubi Celebranti aſſiſtit. — Lecto Evangelio Celebrans redit ad cornu Epiſtolæ, ubi convertitur ad Cantores iterum donec Paſſionem totam cantare compleverint. — Paſſione completa, Cantores ſumptis propriis Miſſalibus vel Codicibus cum notis redeunt ad Altare, ubi factâ debitâ genuflexione, & Celebranti reverentia, redeunt in Sacriſtiam eo ſane ordine quo venerunt. — In illis Eccleſiis, ubi pauci ſunt Sacerdotes ut commodius poſſint Cantores paſſionis paramenta deponere, & reverti ut choro aſſiſtant, poſt ea verba *emiſit ſpiritum* remanet Sacerdos cum Miniſtris in eodem cornu Epiſtolæ, ubi converſi ut prius ad Cantores ibi audire ſolent reliquam partem Paſsionis, eaque completa, ac ſalutatis Cantoribus, tunc & non prius, Subdiaconus mutare ſolet librum ut legat in cornu Evangelii eam partem Paſsionis, quæ loco Evangelii ſtat, & id quidem non niſi bene & vero innixi fundamento. — Diaconus poſt lectionem Evangelii Celebranti navi-

culam

culam miniſtrat. — Imponitur incenſum cum benedictione in Thuribulo. — Genuflectens inde de more dicit; *Munda cor meum*, & petit benedictionem (12). — Diaconus omiſſo *Dominus vobiſcum*, nec ſignans librum, nec ſe ipſum, ſed medius inter duos Ceroferarios ſine Candelabris, ſed cum Ramis præ manibus, incenſat librum, & abſolutè cantat in tono Evangelii *altera autem die* (13) — Celebrans in cornu Epiſtolæ converſus ad Diaconum Evangelium cantantem, ibi in fine deoſculatur librum, & incenſatur a Diacono. — Cætera omnia ut in aliis Miſsis cum cantu — Notandum, orationes ſeu collectas hujus Miſſæ, ſicuti & Præfationem cantandas eſſe in tono ſolemni, ut videre eſt de ipſa præfatione in Miſſali Romano.

In Miſſis ſolemnibus quædam dicuntur a Celebrante, quædam a Miniſtris, quædam a Choro, cujus rationem tradit D. Thomas dicens tangi in hoc Sacramento ea quæ pertinent ad totam Eccleſiam. Et ſic quæ pertinent ad populum dicuntur a Choro ex quibus aliqua ut Gloria, & Credo incipiuntur a Sacerdote Deum repræſentante, ut oſtendatur, populum per divinam revelationem accepiſſe myſteria Fidei & quæ pertinent ad ſalutem animæ. Doctrina autem veteris & novi Teſtamenti traditur a miniſtris; quia per miniſtros a Deo miſſos hæc Doctrina eſt populis annunciata. Illa vero quæ ad offi-

cium Sacerdotis pertinent, qualia ſunt dona & ſacrificia ac preces offerre pro populo, dicit ſolus Sacerdos. Ex *quibus quæ communia ſunt ipſi Sacerdoti cum populo, ut orationes, publice profert. Quæ autem ad ſolum Sacerdotem pertinent, ut oblatio & conſecratio, dicit ſecreto ad majorem populi reverentiam, ut notavit Valentia; quia divina myſteria cum ſilentio tractanda ac veneranda ſunt.* Serran. Prælud. I. num. 24.

MYSTICÆ EXPOSITIONES.

(1) *Palma præ manibus cum cantatur Paſſio; ut dum ignominia Crucis narratur ejuſdem victoria per ramos oſtendatur.*

(2) *Genuflectunt ad compenſanda improperia illata filio Dei, dum populus Judæorum genuflexo ante eum, illudebat ei.*

(3) *Non petitur benedictio quia in paſſione deſcribitur ſublatus ille, qui eſt auctor omnis benedictionis.*

(4) *Non deferuntur luminaria; quia ille extinctus nunciatur, qui dixerat ego ſum lux mundi.*

(5) *Non adhibetur incenſum; ad denotandum quod tunc fervor devotionis vel orationis, qui per incenſum deſignatur, in Apoſtolis tepuit, vel quaſi extinctus fuit.*

(6) *Non præmittitur Dominus vobiſcum; in deteſtationem proditoriæ ſalutationis Judæ.*

(7) *Submiſſa voce, ne impedimento ſit Canto-*

toribus, & ad evitandam confuſionem.
(8) *Ramum tenent ſiniſtrâ; quaſi tryumpho Domini plaudentes.*
(9) *Utroque genu genuflectunt, ſive in venerationem & obſequium mortis Chriſti, per quam noſtra completa eſt redemptio: ſive in gratiarum actionem Filio Dei, qui ut ſervos redimeret ſe ipſum morti tradidit.*
(10) *Mutat de loco ad locum librum: per quod ſignificatur tranſitus gratiarum ab Habreis ad Gentes.*
(11) *Reſpiciat liber Crucem; quia ſolus inventus eſt agnus dignus aperire librum, & ſolvere ſeptem ſignacula ejus.*
12) *Benedictio datur, & fertur incenſum. Benedictio datur: quia finita eſt jam narratio paſſionis, & ex tunc narrantur ab Evangeliſta, quæ contigerunt poſt Chriſti mortem uſque ad reſurrectionem.*
(13) *Incenſum adhibetur, quia cum quæ ſequantur tractent de ſepultura Chriſti ille ſignificatur, qui ferens miſturam mirrha & aloes quaſi libras centum venit ſepelire corpus Jeſu. Et in hac ſicuti in cæteris paſſionibus ad partem Evangelii non deferuntur luminaria; ad ſignificandum in morte Chriſti metum extinxiſſe in Apoſtolis ſpiritum prædicationis; omnes enim relicto eo fugerunt.*

CAPUT V.

Quæ præparanda, & quæ agenda in Matutinis tenebrarum.

Officium hujus diei Matutinum tenebrarum vocatur; ſignificat enim, ut ait Durandus lib. VI. num. 2., non tam tenebras materiales, quæ fuerunt ſuper faciem terræ dum pendebat Sol Juſtitiæ in Cruce; fuit etenim tunc eclypſis miraculoſa non naturalis per tres horas, videlicet a ſexta hora uſque ad nonam incluſivè, quam etiam ſpirituales quæ in illo triduo in cordibus fidelium extiterunt, vel ideo ex Ruperto l. 5. cap 24. *officium tenebrarum appellatur officium hujus diei, quia triduanas mortis Chriſti exequias celebramus. Quod eſt diviſum in tria nocturna, quæ diviſa ſunt in novem pſalmos, novem lectiones, & novem reſponſoria ad oſtendendum quod Chriſtus his diebus in Infernum deſcendens tria hominum genera, ſcilicet virgines, conjugatos, & continentes inde rapuit, & ad angelorum qui in novem choros diſtinguntur ſocietatum tranſverit.*

Si quibus ergo Altaribus flores & ornamenta feſtiva lætitiæ ſint, removeantur omnino. —— Ad altare ſex omnino candelæ ceræ comunis, non vero al-

bæ, neque plures nec pauciores. — In cornu Epiſtolæ Candelabrum triangulare collocetur (1) — cum quindecim candelis ejuſdem ceræ (2). — Hora competenti, remoto prius ab altari Sacramento, & in alio altari decenter collocato, accendantur ſex prædictæ candelæ altaris; deinde quindecim aliæ ſuper Candelabrum incipiendo ab altiori in cuſpide, & ſic uſque ad ultimam, prius a parte Evangelii, deinde eodem modo a parte Epiſtolæ. — Hebdomadarius cum omnibus aliis nudo capite verſus altare inclinatus recitabit ſubmiſsâ voce & in ſilentio Pater noſter, Ave Maria, & Credo. Deinde abſolutè ſine principio & ſine conſuetis (3) ſine Invitatorio (4). — Præintonatâ Antiphonâ Hebdomadario a Cantore, eam repetit juxta tonum præintonatum ſibi, ſe ſignans cum omnibus de Choro ut fieri ſolet ad verſum: *Deus in adjutorium* (5) — Incipit Matutinum ab Antiphona: *Zelus domus tuæ comedit me*, *&c.* (6) — Finito pſalmo non dicitur *Gloria Patri* (7) — & extinguitur una candela, incipiendo ab ea, quæ eſt remotior a ſummitate cuſpidis a latere Evangelii, & poſt finem cujuſcumque pſalmi extinguitur altera candela ea nempe hoc ordine; ad finem ſecundi pſalmi extinguitur una candela quæ eſt humilior in cornu Epiſtolæ, & ſic viciſsim & alternatim ab utraque parte ſemper aſcendendo ad altiores candelas, unam

unam poſt aliam in fine pſalmorum extinguendo (8). —— *Pater noſter* ad quemcumque nocturnum dicitur totum ſecretò (9) ——. Cantantur Lamentationes ad legile in medio Chori præparatum, vel ad ambonem ubi lectiones ſolent legi, & ſic cæterorum nocturnorum lectiones ſine prę- via benedictione (10). —— Ad Benedictus Antiphona ſemper intonetur ab Hebdomadario, præintonatâ tamen ſibi ſemper a Cantore. —— Interim per Eccleſiam omnes extinguntur Lampades, illis tantummodo exceptis, quæ ardent ante Sacramentum (11). In fine verſus *Ut ſine timore* extinguitur una candela in cornu Evangelii ex his, quæ ardebant ſuper altare, incipiendo ab ea quæ Cruci remotior eſt, & ſic ad quemlibet verſum Acolythus unam extinguat candelam in eodem cornu Evangelii, & tribus his extinctis, accedet ad cornu Epiſtolæ & eodem ſane ordine extinguet alias tres candelas ſimiliter inchoando ſemper ab ea quæ remotior eſt a Cruce (12). —— Completo Cantico Benedictus, removetur a candelabro ultima candela, & accenſam adhuc manu tenet elevatam Acolythus ſuper altare in cornu Epiſtolæ (13). —— Cum inchoatut verſus: *Chriſtus factus eſt. &c.* genuflectentibus omnibus, candelam ſic accenſam abſcondit Acolythus ſub altari, vel poſt altare, ita ut lumen nullo modo appareat (14). —— Completo verſu, ſecretò Superior di-

dicat: *Pater noſter*, eoque dicto, dicitur pſalmus *Miſerere mei Deus*, quem Chorus ſubmiſſa voce ac flebili proſequitur. (16) —— Poſt pſalmum, Sacerdos adhuc genuflexus (16) & aliis omnibus genuflectentibus aperto capite dicit orationem: *Reſpice quæſumus Domine* quam ſecreto concludit & complet per concluſionem, *Qui tecum vivit, &c.* —— Tunc ad modicum tempus fit fragor (17). Tandem candela adhuc accenſa quæ fuerat abſcondita populo oſtenditur, & ſic accenſa in ſummitate candelabri reponitur, & omnes cum ſilentio diſcedunt (18).

MYSTICÆ EXPOSITIONES.

(1) *In cornu Epiſtolæ; quia ſiniſtrum cornu altaris eſt quod in Miſſa Hæbreos ſignificat, ad quos primò venit Chriſtus.* Jo. Beleth in exp. div. off. c. 101.

(2) *Cum quindecim candelis; quindecim & non plures ad denotandam fidem de Sanctiſſima Trinitate, quæ tunc vigebat in B. Maria Virgine, Apoſtolis, & tribus mulieribus Mariæ nomine nuncupatis.*

(3) *Sine principio & fine ſolitis dicuntur hæc officia; quia Chriſtus moritur Alpha & Omega; principium & finis.* Rupert.

(4) *Sine Invitatorio, ne videamur imitari perverſam illam invitationem, quam fecerunt Judæi inientes conſilium contra Jeſum, ut eum morti traderent.* Jo. Beleth c. 96.

(5) *Si-*

(5) *Signat ſe cum omnibus de choro; ut ad omnem actum, manus pingat Crucem bis præſertim diebus, quibus Crucis vexillum prodiit.* S. Hieronymus apud Gavantum.

(6) *Ab antiphona Zelus &c. incipit; quaſi Jeſus anima chriſtiana dicat: amor meus erga te me morti tradidit, & quaſi conſumpſit.*

(7) *Non dicitur Gloria Patri &c., quia Judæi opere compleverunt ignominioſam Chriſti paſſionem.*

(8) *Extinguntur Candelæ una poſt aliam; quia Apoſtoli paulatim defecerunt a Chriſto.*

(9) *Pater noſter dicitur totum ſecreto; quia Chriſtus oravit in paſſione avulſus ab aliis & valde ſecreto.*

(10) *Sine benedictione; quia Paſtor noſter receſſit fons omnium benedictionum.* Gemma ap. Gavant. *Cantantur Lamentationes, quia ſicut in illis Jeremias deflevit mortem ſancti Regis Joſiæ, ſic Eccleſia nunc luget paſſionem, & mortem Domini.* Jo. Beleth. c. 101.

(11) *Extinguntur lampades; ad oſtendendum terrorem, quem conceperant Apoſtoli de Principibus Sacerdotum & Senioribus populi, dum omnes relicto Jeſu fugerunt.*

(12) *Ad præfigurandas tenebras in morte Chriſti per univerſam terram.*

(13) *Candelam ſuper Altare tenet Acolythus;*

thus ;. ad ſignificandum filium Dei quidem mortuum eſſe pro nobis, quoad humanitatem, dum factus eſt obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis, ſed vivum remanſiſſe quoad divinitatem, quæ paſſioni & morti nunquam poterat ſubeſſe.

(14) *Abſcondit lumen ; receſſit enim paſtor noſter lumen indeficiens, & lux vera quæ illuminavit omnem hominem venientem in hunc mundum.*

(15) *Ad deſignandum populorum timorem in morte Chriſti.*

(16) *Sacerdos genuflexus ; ad imitandam Chriſti humilitatem.*

(17) *Fit fragor ; vel ad ſignificandum tenebras in Chriſti morte cum terremotu ; vel concrepationem Judæ, & tumultum Cobortis.*

(18) *Proditur lumen, quod fuerat abſconditum, vel quia per fidem, quæ in ſola Virgine remanſerat, omnes in ea poſtea fideles docti, & illuminati ſunt ; vel quia licet Chriſtus ſecundum carnem videretur extinctus, tamen ſecundum divinitatem vivebat, & poſtea reſurgens cum luce clariſſima ſe ſuis diſcipulis manifeſtavit, vel denique ad ſignificandam Dei illuminationem in Apoſtolis, & in aliis, in quibus tunc fides pænè videbatur extincta.*

CA-

CAPUT VI.

Quæ præparanda ſint Feriâ V. in Cœna Domini pro Miſſa ſolemni.

HOdie, quoniam Auguſtiſsimi Sacramenti Corporis, & Sanguinis Domini recolitur inſtitutio, ideo Cœna Domini dies hic vocatur, & feſtivum habet hæc dies officium ob inſtitutionem Sacramenti Sacramentorum, ut ait *Gavantus tit. 1. part. 4. lib. 8. num. 1.* Crux ergo Altaris velo tegatur albo. —— Crux proceſsionalis velo pariter albo tegitur, ſed imago Crucifixi in ſummitate haſtæ, velo debet eſſe tecta violaceo (1). —— Cætera altaria paramentis violaceis parentur & imagines Sanctorum velatæ cum Crucibus velis pariter violaceis (2). —— Præparetur aliqua Capella decenter ornata luminibus, floribus, tapetibus, & auleis cum Capſula clave claudenda cum Corporali interius (3). Super Credentiam præparentur candelabra pro Ceroferariis —— Calix pro Miſſa cum duabus hoſtiis —— Pixis cum particulis pro infirmis, & Sacerdotibus comunicaturis. —— Alter Calix cum Palla, Patena, Velo albo prætioſo & Vittâ ſericeâ ad colligandum velum. — Miſſale pro Epiſtola — Velum humerale aliàs Continentia pro Subdia-

cono

cono —— Stolæ albi coloris pro Sacerdotibus communicaturis. —— Pelvis cum ampullis ſeu urceolis cum vino & aqua. —— Prope Credentiam Intorticia pro Proceſſione. —— Baldachinum prætioſum albi coloris. —— Super Altare Miſſale cum legili, vel cuſsino. ——

In Sacriſtia Paramenta prætioſiora albi coloris pro Celebrante, Diacono, & Subdiacono. —— Amictus, Alba, & Cingulum cum Pluviali ejuſdem coloris pro Miniſtro ſi adſit. —— Aliud Pluviale album pro Sacerdote in Proceſsione. — Stolæ duæ violacei coloris pro Sacerdote, & Diacono denudaturis altaria poſt veſperas ad quæ denundanda Subdiaconus procedit in albis ſine manipulo, quo carebunt etiam Sacerdos, & Diaconus. —— Duo vel ſaltem unicum Thuribulum, cum navicula cocleari, & incenſo. —— Pluvialia pro Cantoribus ſi adſint. —— Pluviale violaceum cum ſtola ſimili ad faciendum Mandatum ſeu pedum lotionem, in qua Subdiaconus, & Diaconus utantur Manipulis, Stolis, Dalmaticâ, & Tunicellâ albi coloris.

MYSTICÆ ESPOSITIONES.

(1) *Quia Crux ſuper altare & velum Crucis proceſſionalis ad Cœnam Domini refertur, & velum Crucis, quo Imago tegitur Crucifixi ſuper baſtam ad ipsus paſſio-*

paſſionis ſignificanda myſteria relationem habet ; vel quia ſicut in feria quinta mundi ex aquis ortum genus partim reliquit gurgiti Deus , hoc eſt piſces creavit , & partim levavit in aere , hoc eſt aves ; ita in hac feria V. deprimimur in triſtitiam , levamur in gaudium .

(2) *Quia adhuc tempus paſſionis eſt & luctus ſponſa Eccleſia ſuo viduanda paſtore , & ſponſo animarum .*

(3) *Corporale interius quod ſignificat linteum quo in monumento involutum eſt Corpus Domini .*

CAPUT VII.

Quæ agenda ſint in Miſſa & Proceſſione feriâ quintâ in Cœna Domini .

SAcratiſsimi hujus diei Miſſa majori ſolemnitate celebranda eſt ; recolitur enim inſtitutio Sanctiſsimi Euchariſtiæ Sacramenti ; enim vero Dei filius *Pridie quam pateretur , hoc eſt hodie , accepit panem & in corpus ſuum convertit* . —— Celebratur vero hæc Miſſa cum omnibus ferme cæremoniis ac aliæ ſolemnes Miſſæ exceptis his quæ inferius notantur nempe —— non dicitur in principio Pſalmus , (1) nec Gloria ad Introitum , nec ad Lavabo (2) . Intonato Hymno Angeli-

co

co *Gloria in excelſis Deo*, pulſantur organa & campanæ, & illa, & hæ ſilent uſque ad *Gloria in excelſis Deo* Sabbati Sancti (3). Cætera omnia ut in aliis Miſsis ſolemnibus. — Conſecrantur duæ hoſtiæ; & ſi neceſsitas poſtulet etiam particulæ minores pro fidelibus communicandis in Miſſa poſt Clerum & pro infirmis. — Pax non datur (4) dicitur tamen in ultimo Agnus Dei, *dona nobis pacem*. — Sumpto a Sacerdote Corpore prætioſo ac Sanguine Domini, Subdiaconus ferat de Credentia ad Altare Calicem cum Patena, Palla, & Velo ejuſdem Calicis cum Vitta ad reponendum in eo Sanctiſsimum Sacramentum. — Diaconus tenet Calicem apertum coram Celebrante. — Celebrans genuflectit & dexterâ ponit in Calicem Hoſtiam Sacram, adeout facile die ſequenti abſque contactu poſsit extrahi, & iterum unico genu adorat. — Diaconus collocat Calicem prædictum cum Hoſtia ſacra in medio Corporali, cooperit illum Palla (5) — tum Patenâ inverſa ad tutelam Pallæ (6) Deinde velo albo prætioſo ad ornatum & tutelam. — Mox Diaconus Calicem prædictum cum Hoſtia collocat prope Crucem non tamen extra, ſed ſuper Corporale & ante ipſum, Pixidem ſeu Calicem cum Particulis pro communione. — His peractis, Sacerdotes acceptis Stolis albi coloris per girum diſpoſiti vel in linea, quando bini, & bini accedunt comunicandi ſimul

mul tum in acceſſu, quam in receſſu unico genu genuflectant ad Altare. — Diaconus facta genuflexione unico genu deſcendit in planum Capellæ ad cornu Epiſtolæ, & ibi profundè inclinatus facit confeſſionem in cantu conſueto. — Sacerdos diſcooperta Pixide genuflectens convertitur ad communicandos aliquantulum verſus cornu Evangelii (7). — Deinde dat abſolutionem de more dicens: *Miſereatur, &c. Indulgentiam, &c.* Converſus ad Altare genuflectit: accipit Pixidem, & converſus ad communicandos tenens dexterâ ſacram Particulam ſupra Pixidem aliquantulum elevatam dicit: *Ecce Agnus Dei, &c.* advertens nunc non Sacramentum quod eſt ſuper Altare ſed illud quod habet præ manibus. — Tunc communicat primo Miniſtrum ſi adſit, deinde Diaconum, & Subdiaconum, poſtea Sacerdotes, & Clerum, alioſque ultimo loco de populo ſi adſint communicandi. — Diaconus & Subdiaconus redeunt ad latera Celebrantis genuflectunt & ſe ſiſtunt. — Diaconus ad dexteram illius ut Patenam teneat ſub mento Communicandorum. — Subdiaconus ad ſiniſtram. — Miniſter ſi adſit in Cornu Epiſtolæ in Calice ſeu aliquo alio vaſe ad id præparato cum manutergio ſolis Miniſtris Sacris, & cæteris Sacerdotibus communicatis purificationem præbet. — Cæteris vero Clericis in eodem cornu Epiſtolæ, & laicis ad cancel-

los,

los, ſeu præsbiterium alter cum cotta ſive Acolythus ſeu Clericus non in ſacris. — Completâ comunione Diaconus cum debitis genuflexionibus Pixidem reponit cum reliquis Particulis conſecratis conſervandis pro infirmis ex Decreto Innocentii I. — Non conſervatur ſanguis. (8) — Si adſint in Ciborio Particulæ pro infirmis, & Celebrans in Miſſa omnes Particulas de novo conſacratas diſtribuerit, purificetur ab ipſo Pixis de more. — Diaconus Calicem in quo Sacramentum conſervatur in medio Altaris collocat. — Celebrans facta genuflexione accedit ad cornu Epiſtolæ ubi comunionem legit — omnia deinde peragat tum in acceſſu, cum in receſſu a medio Altaris, quæ præſcripta ſunt de oſculis & circulis non perficiendis & genuflexionibus coram Sanctiſſimo Sacramento, & a me declarata ſunt Tomo I. meorum Dubiorum Dubio IX. — Subdiaconus Calicem Miſſæ tergit de more, quem factâ prius debitâ Sacramento genuflexione, ad credentiam portat. — Celebrans in principio Evangelii S. Joannis ſignat librum ſeu tabellam ejuſdem, nunquam vero Altare, (9) in quo ſæpe ſæpius multos errare vidi — quod ſi non adſit ſeu Miſſale, neque tabella prædicta, ſed memoriter Evangelium recitet, a ſigno prædicto omnino abſtineat, ſignando tantummodo ſe ipſum in fronte, in ore, & in pectore, de more.

MYSTICÆ EXPOSITIONES.

(1) *Ideo omittitur prædictus pſalmus, quia indicat lætitiam, ut patet ex illo verſu, qui dicitur ad fugandam triſtitiam, quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me, quod non concordat cum illo triſtis eſt anima mea uſque ad mortem.*

(2) *Non dicitur Gloria Patri; quia in Chriſti paſſione abſcondita fuit fortitudo gloria ipſius; & in ejus morte Trinitas viſa eſt quaſi extincta in cujus laudem dicitur ille verſus.*

(3) *Silent organa uſque ad Sabbatum Sanctum; ſunt enim organa inſtrumenta lætitiæ, & ſilere debent dum recolitur memoria paſſionis illius, qui verè eſt lætitia populi ſui; ſilent campanæ ut excelſa noſtra & turrium noſtrarum taceant in humilitate Chriſti; vel quia tunc Apoſtoli per caſtella non circuibant verbi Dei prædicatores, ſed tacebant.*

(4) *Pax non datur, in deteſtationem oſculi Judæ.*

(5) *Cooperit palla, quæ lapidem ad oſtium monumenti ſignificat.*

(6) *Patenâ inversâ; quaſi ſigillum eſt, quo abeuntes munierunt ſepulchrum ſignantes lapidem.*

(7) *Verſus Cornu Evangelii, ne terga vertat, quantum fieri poteſt Sacramento.*

(8) *Non conſervatur ſanguis; tum quia periculum eſt ut effundatur, tum quia*

ſigni-

ſignificatur in calice finis legis antiqua, & cum bibiſſet Chriſtus in Cruce dixit: conſumatum eſt, ideſt teſtamentum vetus.
(9) *Non ſignat altare, quia ſupra menſam immediatè adeſt Auctor Benedictionum.*

CAPUT VIII.

Quæ peragenda ſint Feriâ V. in Cœna Domini pro Proceſſione Sanctiſſimi Sacramenti.

SAcerdos completâ Miſsâ, & facta genuflexione unico genu in medio Altaris, ſi deſcendit per gradus laterales, ſi vero deſcendat de medio altaris ad medium Præsbyterii in plano Capellæ utroque genu genuflectit adorans divinum ſuper Altare poſitum Corporis Chriſti Sacramentum, & in plano Capellæ in cornu Epiſtolæ deponit planetam adjutus a Miniſtris cum Manipulo quem deoſculatur, deponentibus Diacono, & Subdiacono Manipulos ſuos. — Indutus deinde Pluviali, nudo capite, manibus ante pectus junctis inter Miniſtros ſacros fimbrias Pluvialis elevantes accedit ad medium Altaris, ibique in plano genuflectunt omnes utroque genu in pari linea. — Aſcendit mox ad ſuppedaneum, & Miniſtri in gradu inferiori poſt illud genuflectunt & tantiſper orant.

orant. — Diſtributis interea cereis & facibus pro Proceſſione, & haſtis Baldachini deferendi ſupra Sacramentum, ſurgit Sacerdos & parum ſe retrahens verſus cornu Evangelii abſque benedictione, miniſtrante Diacono naviculam ſine oſculis manus celebrantis, & cochlearis (1) imponit incenſum in Thuribulum vel Thuribula, quæ miniſtrantur ab Acolythis genuflexis utroque genu. — Hinc Sacerdos genuflectit, & accepto a Diacono ſine oſculis primo Thuribulo (ubi ſunt duo Thuriferarii) inclinat caput profundè, quod & Miniſtri ſacri faciunt, & nunc & poſt incenſationem, ipſiſque elevantibus fimbrias Pluvialis ter incenſat Sacramentum. — Miniſtri Sacri velum ſuper humeros Celebrantis ita concinnè aptant ut æqualiter fluat ſuper brachia. — Diaconus ſurgit, aſcendit ad ſuppedaneum, genuflectit unico genu, accipit Calicem: dexterâ nodum Calicis, ſiniſtrâ ejus pedem tenens, illum Celebranti genuflexo ſuper ſuppedaneum tradit, ille autem Calicem ſiniſtrâ per nodum ſuſcipiens, dexteram ſuper illum imponit. — Diaconus, extremitatibus veli humeralis ſuper manu Celebrantis extenſis, genuflectit utroque genu, ſurgit & locum mutat, ut a dextris ſit Celebrantis, & Subdiaconus a ſiniſtris elevantes fimbrias anteriores Pluvialis. — Celebrans cum Sacramento convertat ſe ad populum & ſi numeroſior ſit Clerus aſcendat cum Miniſtris

ſtris ad ſuppedaneum, & ibi ad populum converſus ſtet donec tempus procedendi adveniat. —— Cantores genuflexi intonent Hymn. *Pange lingua*, & inter Strofen non pulſatur Tabula lignea. Tunc procedit Subdiaconus alter a Miſſa ſine Manipulo, vel Acolythus deferens Crucem medius inter duos Ceroferarios. —— Clerici procedunt bini, & bini cum cereis accenſis; deindè Sacerdotes cum facibus ſimiliter ardentibus, quas qui a dextris ſunt Proceſſionis dexterâ geſtant, qui vero a ſiniſtris ſiniſtrâ, in quo quidem multi errant. —— Sequitur ultimo loco Miniſter cum Pluviali, ſi adſit, deinde Sacerdos medius inter Diaconum a dextris, & Subdiaconum a ſiniſtris ſub Umbella, ſeu Baldachino fimbrias Pluvialis ſubſtentantes, & Hymnum, & Pſalmos ſubmiſſa voce dicentes, eos præcedente Acolytho vel Acolythis thuribula fumigantia ſemper moventibus, quaſi in odorem ſuavitatis viam Domino ſternendo. —— Nunquam tamen genuflexi incenſent Sacramentum, juxta Gavantum, cæteroſque Cæremoniarum Magiſtros. —— Haſtæ Baldachini ſic diſtribuantur, niſi portentur a Sacerdotibus vel Clericis cum Pluvialibus; ſi vero a Secularibus portentur; Prima haſta a dextris Celebrantis detur perſonæ digniori; altera quæ eſt a ſiniſtris Sacerdotis erit ſecunda; ſecunda a dextris erit tertia; ſecunda a ſiniſtris erit quarta; tertia a dextris erit quinta; tertia a ſiniſtris

erit ſexta; quarta a dexteris erit ſeptima; quarta a ſiniſtris erit octava. — Dum cantatur verſus *Tantum ergo Sacramentum* (dummodo tamen oriri non poſſit confuſio in Proceſſione, omnes excepto Celebrante, & Miniſtris Sacris, erga Sacramentum genuflectunt (a). Cum ventum erit tandem ad locum ubi conſervandum eſt Sacramentum, Sacerdos accedit cum Diacono ad ultimum gradum Altaris, & ibi ſtans, porrigit Calicem Diacono genuflexo ſuper ſuppedaneum utroque genu. — Diaconus accepto Calice, ſtat ibi, Celebrans genuflectit & adorat, deinde ille ſurgit & ponit Calicem ſupra Corporale in medio Altaris. Tunc facta genuflexione, aſcendit ad Celebrantem adhuc genuflexum cum Subdiacono & Miniſtro, unoquoque eorum in loco ſuo. Amoto velo ab humeris Celebrantis, ipſe ſurgit, & miniſtrante Diacono naviculam ſine oſculis, ſine benedictione more ſolito, ponit incenſum in Thuribulo, & factâ conſueta profunda capitis inclinatione, ter incenſat Auguſtiſſimum, atque adorabile Corporis Chriſti Sacramentum ſuper Altare poſitum, & iterum inclinatione facta, reddit Thuribulum Diacono, & hic Acolytho unuſquiſque eorum ſine oſculis, & cantatur *Tantum ergo Sacramentum*. — Diaconus poſt incenſationem Sacramenti, aſcendit ad Altare genuflectit unico genu, reponit Sacramentum in Capſu-

la præparata, iterum genufle˜tit ſimiliter unico genu; Capſulam claudit, —— Sacriſtæ clavem cuſtodiendam tradit, non vero ulli Laico quantumvis nobili, juxta Decreta Sacræ Rituum Congregationis. —— Revertitur inde ad locum ſuum ad dexteram Celebrantis, ibi genuflexus parùm cum illo orat. —— Surgunt omnes; deſcendunt in planum Capellæ, ibi utroque genu omnes genufle˜tunt. —— Surgunt, & manibus ante pectus junctis nudo capite procedunt in Sacriſtiam, advertentes ne caput prius cooperiant, quam de Præsbyterio egreſſi ſint (3).

MYSTICÆ EXPOSITIONES.

(1) *Propter apertam præſentiam Sacramenti non oſculatur Diaconus, & alii Miniſtri, nec manum Celebrantis, neque ea qua porrigit.*

(2) *Melius tamen erit, juxta Caremoniale Epiſcoporum, ſi ita remiſsè cantentur cæteri verſus hymni Pange lingua, & ita protrahantur, ut ad verſum, & Strofen Tantum ergo Sacramentum, a Diacono illud poſitum ſit ſuper altare. In hoc tamen laudabiles conſerventur conſuetudines Eccleſiarum, juxta* Bauldry.

(3) *Non cooperiant caput priuſquam è praesbyterio egreſſi ſint, propter reverentiam Sacramento debitam.*

CAPUT IX.

Quæ agenda ſint in denudatione Altarium.

NOn ſolum Altare majus, ſed omnia, & quæcumque Altaria denudanda ſunt; ut ergo omnia ritè fiant: poſt veſperas (1) Sacerdos indutus Amictu, Albâ, Cingulo, & Stolâ violaceâ in modum Crucis, Diaconus Stolâ ſimiliter Diaconali ſuper humerum ſiniſtrum ſine Manipulo, & Subdiaconus Albâ ſine Manipulo, præcedente Acolytho ſine Thuribulo, & Ceroferariis ſine luminibus, ſed manibus ante pectus junctis procedunt de Sacriſtia, Diaconus nempe a dextris, & Subdiaconus a ſiniſtris Sacerdotis. Pergunt primò ad Altare majus, ad quod celebrata fuit Miſſa, ibique omnes, excepto Celebrante, genuflectunt propter Crucem ibi expoſitam, ad quam Celebrans profundè aperto capite ſe inclinat. —— Antequam inchoetur denudatio Altaris Sacerdos dicit in tono flebili integram Antiphonam *Diviſerunt &c.*, quæ non repetitur poſt Pſalmum. — Poſtea dicitur ſine cantu & voce demiſſa & flebili Pſalmus *Deus Deus meus reſpice in me*. —— Sacerdos cum Miniſtris dum dicitur Pſalmus denudant altaria, removendo mappulas

pulas cum paliis, cæteriſque paramentis. (2) Remanent tamen in unoquoque Altari Cruces velatæ cum Candelabris. —— Completâ omnium Altarium denudatione, eodem ordine quo venerunt revertuntur in Sacriſtiam.

MYSTICÆ EXPOSITIONES.

(1) *Poſt veſperas denudantur Altaria; quia poſt veſperas denudatus fuit Chriſtus diſcipulis ſuis.* Alcuinus.

(2) *Removentur mappæ & cætera ornamenta Altarium; ad ſignificandum primo Chriſtum in paſſione amiſiſſe ſpeciem & decorem, unde nec reputatus eſt, & veſtimenta ejus diviſa fuiſſe inter milites, vel nudatum fuiſſe, quaſi gloria Deitatis, unde exclamavit in Cruce: Deus Deus meus ut quid dereliquiſti me; vel ad ſignificandam ſecundò fugam Apoſtolorum, & derelictionem Chriſti: Altare namque Chriſtum, vel ejus corpus ſignificat; Altaris verò veſtimenta Apoſtolos deſignant; Altare igitur denudatur, quia fugientibus Apoſtolis Chriſtus ſolus remanſit. Hinc etiam tertiâ die iterum cooperiuntur, quia poſt reſurrectionem diſcipuli ad Chriſtum redierunt; vel tandem ad ſignificandum quod velum templi ſciſſum fuit, & liber qui ſignatus erat apertus eſt: quare in Proverbiis aperta ſunt prata, & apparuerunt*

herbæ virentes, ideſt exempla actionum Chriſti, quæ ſunt ab æternitate, & ducunt ad æternitatem; & bene dicit aperta ſunt prata, & apparuerunt herbæ virentes, quia ea quæ magis occultæ erant in lege, ſicut paſſio, reſurrectio, & aſcenſio patefacta ſunt.

CAPUT X.

Quæ præparanda ſint ad faciendum Mandatum, ſeu lotionem pedum.

AD faciendum Mandatum, ſeu pedum lotionem præparentur primò Scamnum oblongum, quod tapete ſeu alio panno vel auleo viridis, violacei, vel alterius coloris, præterquam rubri ſternatur, pro Pauperibus, ſeu aliis, quibus lavandi ſunt pedes. — Tapes ulterius oblongus ante ipſum ſcamnum, ubi genuflectere debet Celebrans. — Cuſſinus amplus pro Sacerdote pedes lavaturo. — Ad Altare pallium albi coloris. — Mappula ſeu tobalea una, quæ ipſum ſuperius, & a lateribus totum tegat. — Crux Altaris velo regatur albo. (1) Duo ſaltem candelabra ſuper altare cum candelis accenſis ceræ albæ. — In cornu Epiſtolæ, Credentia, ſupra quam Miſſale collocetur pro Evangelio. — Linteum album & mundum pro Sacerdote. — Mappulæ ſeu Manutergia ad extergen-

gendos pedes. — Bacile cum medulla panis. — Manutergium & Buccale cum aqua ad lavandas manus Sacerdotis, & Miniſtrorum etiam poſt Mandatum. — Lanx pro eleemoſinis pauperum. — Vas unum vel plura aquæ calidæ temperatæ pro lotione pedum. — Pelvis una vel plures ad excipiendam aquam lotionis pedum. — Urceus ad infundendam ipſam aquam. — Legile cum libro notato ad cantandas antiphonas, quod legile nudum eſſe debet.

Præparentur ſimiliter in Sacriſtia Amictus, Albæ, Cingula, pro Miniſtro ſi adſit, & pro Diacono & Subdiacono, & pro Celebrante, & inſuper pro eodem Stola & Pluviale violacei coloris. — Stola cum Dalmatica, & Manipulo albi coloris pro Diacono. — Tunicella cum Manipulo albi coloris pro Subdiacono, & ille ponatur ſuper Credentiam, ſi facienda ſit Proceſſio. — Pluviale albi coloris pro Miniſtro. — Thuribulum cum Navicula, Cochleari, & Incenſo. — Vas cum prunis ardentibus. — Pluvialia albi coloris pro Cantoribus, ſi adſint. — Crux proceſſionalis velo cooperta albo, licet imago Crucifixi in ejus ſummitate velo ſit tecta violaceo. — Duo Candelabra cum candelis ceræ albæ pro Ceroferariis.

MYSTICA EXPOSITIO.

(1) *Crux velo tegatur albo, ad ſignificandam munditiam cujus gratia lavantur pedes.*

CAPUT XI.

Quæ agenda ſint in faciendo Mandato, ſeu lotione pedum.

LOtio pedum Mandatum dicitur; quia Mandatum mandavit Chriſtus de lotione eorum, & quia Antiphonæ incipiunt ſic; *Mandatum novum do vobis*. Hora ergo competenti, diſpoſitis omnibus, quæ ad hujuſmodi functionem peragendam neceſſaria ſunt (1). Subdiaconus ſine Manipulo ſi fiat Proceſſio ad locum ſeu Altare ubi lotio facienda eſt, accepta Cruce proceſſionali, procedit medius inter Ceroferarios cum candelis accenſis ceræ albæ, præcedente omnes Acolytho cum Thuribulo fumigante odorem incenſi, quod prius impoſuerat, & benedixerat Sacerdos. — Procedunt conſueto ordine bini, & bini Clerici, deinde Sacerdotes: præterea Sacerdotes ad miniſterium deputati. — Ultimo loco Sacerdos cum Diacono a ſiniſtris fimbriam Pluvialis ei elevante, & ante eum ibit Miniſter ſi adſit. — Cum ventum fuerit ad locum præparatum, Subdiaconus depoſita Cruce prope credentiam, expectat Sacerdotem prope altare, & accipit Manipulum. — Ceroferarii ad cornua Altaris ſe ſiſtunt. — Sacerdos, & Miniſtri accedunt ad Altare, & in plano hi unico genu genuflectunt

Cru-

Cruci, Sacerdos vero profundè ſe inclinat. — Sacerdos aſcendit ad Altare, & illud oſculatur in medio. — Diaconus collocat librum Evangeliorum ſuper Altare, quem acceperat a Cæremoniario factis debitis Altari propter Crucem genuflexionibus. — Sacerdos retrahens ſe aliquantulum verſus cornu Evangelii, ponit incenſum in Thuribulo cum benedictione & conſuetis oſculis a Diacono tum coclearis, tum manus ipſius Celebrantis. — Diaconus redditâ Acolytho naviculâ genuflectens ſupra ſuppedaneum dicit: *Munda cor meum*: accipit librum de Altari petit benedictionem dicens *Jube Domne benedicere*. — Celebrans datâ Diacono benedictione, retrahit ſe ad cornu Epiſtolæ factâ prius Cruci reverentiâ — Diaconus in loco conſueto, dicto prius: *Dominus Vobiſcum*, & incenſato poſt verba, *Sequentia*, *&c.* libro Evangeliorum cantat Evangelium. — Celebrans completo Evangelio, librum eorum ſibi deportatum a Subdiacono deoſculatur & poſtmodum a Diacono incenſatur. — Ceroferarii deponunt Candelabra accenſa ſuper credentiam. — Thuriferarius Thuribulum. — Diaconus, & Subdiaconus manipulos ſuos. — Sacerdos adjuvantibus ſibi Miniſtris exuitur Pluviali, & præcingitur linteo (1). — Deinde medius inter ſacros Miniſtros accedit ad lotionem. — Sedentibus tredecim Pauperibus ſu-

per ſcamno parato; Sacerdos nudo capite genufléxus lavat, tergit, & oſculatur pedem dexterum, cujuſcumque Pauperis, quem Subdiaconus a ſiniſtris Sacerdotis paululum elevatum tenet (3). Aliquis ex Acolythis ſeu etiam aliquis Sacerdos aquam effundat ſuper pedes Pauperum per ordinem ab uno ad alterum cujus lavantur pedes. —— Diaconus mappas ad exterſionem pedum Sacerdoti porrigit. —— Incipitur lotio a primo qui proximior eſt Altari. —— Si diſtribuendæ ſint eleemoſinæ, Diaconus eas ſingulatim porrigit Sacerdoti, & hic Pauperibus, qui eam accipiunt, oſculantur manum Sacerdotis dantis, & ipſam eleemoſynam. —— Dum incipitur lotio cantores cantant Antiphonam: *Mandatum novum*, & reliqua, prout in Miſſali. —— Completa lotione, Sacerdos lavat manus, & Miniſtri Sacri poſt ipſum ſi opus ſit. —— Depoſito linteo in cornu Epiſtolæ, ipſe adjutus a Diacono, & Subdiacono reſumit Pluviale violaceum, & Miniſtri manipulos albos. —— Ceroferarii ſumant candelabra, & accedant ad Altare. —— Sacerdos, Miniſtris ſacris eum ſtipantibus cum debitis reverentiis cum ipſis ad medium Altaris ſeſe ſiſtit, & medius quidem inter Diaconum a dextris & Subdiaconum a ſiniſtris dicit, tenentibus librum Diacono & Subdiacono, vel aliquo ex Acolythis, verſus & orationem ex Miſſali. —— Completa oratione,

tione, eodem ordine, quo venerant, revertuntur in Sacriſtiam.

MYSTICÆ EXPOSITIONES.

(1) *Mandatum antonomaſticè dicitur lotio pedum; quoniam majori exhibitione officii hoc obſervari præcepit Chriſtus, cum diſcipulis ſuis pedes lavit dicens: Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.*

(2) *Præcingitur linteo; ad imitationem Chriſti, qui veſtimenta ſua deponens linteo ſe præcinxit.*

(3) *Lavantur pedes; qui ſunt ultima pars corporis, vel ad majoris humilitatis obſequium, vel ad ſignificandum, quod Judæi aqua baptiſmatis in ultimo tempore mundabuntur, & reliquiæ Iſdraelis ſalvabuntur. Myſticè tamen hæc pedum ablutio affectuum terrenorum lotionem deſignat; In baptiſmo namque unuſquiſque totus abluitur, ſed cum in rebus humanis poſtea vivitur utique terra calcatur. Ipſi enim humani affectus ſine quibus in hac vita mortali non vivitur quaſi pedes ſunt.*

CAPUT XII.

Quæ præparanda ſint pro officio Feriâ ſextâ in Paraſceve.

HAc funebri die Morti Domini, ac ejus funeri conſecratâ, Altare ad quod celebrandum eſt officium, ſicuti cætera omnia Altaria, nudum eſſe debet. — In medio tamen illius Crux præparetur velo cooperta nigro facilè amovibili ad adorationem Crucis. — Sex Candelabra collocentur ſuper illud cum cereis, ſi fieri poteſt, ceræ communis non albæ. — Credentia ſeu Abacus nudus eſſe debet. — Mappula ſuper ipſum competenti hora ſternatur, quæ aliquantum a lateribus pendeat. — Ampullæ vini & aquæ ſuper Credentiam in parvo bacili ſeu pelvi, & Manutergium. — Cuſſinus niger vel legile pro Miſſali. — Miſſale pro Sacerdote. — Miſſale aliud pro Epiſtola & Evangelio. — Tobalea una ſuper Altare explicanda. — Velum humerale oblongum album humeris Sacerdotis in proceſſione imponendum. — Bacile parvulum cum vaſe cum aqua & purificatorio ad purificandos & abſtergendos digitos ſi forte Sacerdos hoſtiam ſacram tetigerit dum de calice educitur. — Aliud Purificatorium ad extergendos digitos poſt communio-

nionem, quod tamen non eſt neceſſarium; poteſt enim ſupplere, & ſatis eſſe prædictum primum purificatorium pro utraque purificatione. — Burſa cum duobus Corporalibus, unum explicandum ſuper Altare, ubi repoſitum eſt Sacramentum, aliud ſuper Altare, ubi fit hodie hujuſmodi officium. — Tria Pulvinaria ſeu Cuſſini vel ſericei, nigri coloris, vel ſaltem violacei pro Sacerdote, Diacono, & Subdiacono. — Alius Cuſſinus pro Miniſtro ſi adſit. — Tapes, & Velum album cum Cuſſino nigro, vel ſaltem violaceo, ad ſuperimponendam Crucem pro adoratione. — In cornu Epiſtolæ Scamnum nudum, vel Sedilia nuda pro Sacerdote & Miniſtris. — Prope Altare in Cornu Evangelii, vel ſupra pulpitum tria legilia nuda, vel unum pariter nudum pro Cantoribus paſſionis. — Prope Capellam ubi Sacramentum aſſervatur, Baldachinum album; nullo modo nigrum, — faces ſeu intorticia pro proceſſione. — In Choro vel loco convenienti legile nudum cum libro chorali benè notato, ad cantandos tractus, & improperia. — Crux proceſſionalis nuda, ſed cum immagine Crucifixi in ſummitate velo tectâ nigro, vel ſaltem violaceo. In Sacriſtia præparentur pro Cantoribus paſſionis tria Miſſalia, vel unum, ſeu tres Codices bene notati, vel ſaltem unus codex cum notis, & verbis competentis magnitudi-

nis,

nis, quibus ſcripta ſit Paſſio Domini noſtri. — Tres Amictus cum totidem Albis, Cingulis, Manipulis, & Stolis nigri coloris pro Cantoribus paſſionis, atque pro ipſis tria Bireta. — Pro Sacerdote officium expleturo, Amictus, Alba, Cingulum, Manipulus, Stola, Planeta nigri coloris. — Ejuſdemque coloris, niſi procedant in albis, duæ Plicatæ cum una Stola, & alia Stola latiori, & duobus Manipulis nigri coloris pro Diacono & Subdiacono, — Amictus, Albæ, & Cingula pro iiſdem. — Amictus, Alba & Cingulum cum Pluviali nigri coloris pro Miniſtro, alioquin ſine Pluviali, vel in albis, vel cum Superpelliceo. — Amictus, Alba & Cingulum cum Plicata ſine Manipulo pro alio Subdiacono delaturo Crucem, alioquin Subdiaconus Miſſæ, vel melius Acolythus vices ſuppleat. — Lanx ſeu Bacile ad recipiendas ad adorationem Crucis oblationes fidelium. — Thuribula duo, vel unum cum Navicula, Cochleari, & Incenſo. — Clavis Capſulæ ubi repoſitum eſt Sacramentum. — Clavis Ciborii, ubi reponantur Particulæ conſecratæ, conſervandæ adhuc pro infirmis, niſi hæ in aliqua Capella, vel loco ad id decenter ornato, in Sacriſtia, vel alibi ſerventur. — Si quæ alia ſecundum laudabilem conſuetudinem Eccleſiarum peragenda & præparanda ſint diligens videat Cæremoniarius vel Sacriſta.

CA-

CAPUT XIII.

Quæ agenda ſint in officio Feriâ VI. in Paraſceve.

HOrâ competenti dato ſigno cum tabula lignea (1) dictiſque horis flebili ac demiſſa voce, ſine cantu, & ſine luminibus, completâ nonâ (2) præparatis ad Altare officii tribus cuſſinis, & quarto pro Miniſtro ſi adſit ad proſtrationem, — procedunt de Sacriſtia, primò Thuriferarius, duo Ceroferarii, Clerici, mox Sacerdotes, ultimo loco poſt illos Subdiaconus, Diaconus, Miniſter, & tandem Sacerdos, unus poſt alium, omnes tamen manibus ante pectus junctis, & Miniſtri ſacri capite cooperto, — non dictis conſuetis pſalmis pro præparatione (3). — Si tranſire opus fuerit ante Altare ubi Sacramentum conſervatur, aperto capite, & utroque genu genuflectentes, factâque etiam profundâ capitis inclinatione adorant, caput cooperiunt, ſurgunt. — Cum pervenerint ad altare in pari linea omnes genuflectunt unico genu etiam Celebrans hoc mane ad Crucem, ſurgunt ſe proſternunt, ponentes capita ſua unuſquiſque Miniſtrorum ſuper ſuum Cuſſinum (4), — Orant ſic aliquantulum cum omnibus.

Aco-

— Acolythi interim unam tobaleam oſtendunt ſuper Altare (5). — Collocatur Miſſale apertum ſuper Cuſſinum vel legile in cornu Epiſtolæ (6). — Sacerdos cum Miniſtris ſurgit a proſtratione. — Removentur Cuſſini. — Aſcendunt ad Altare. — Sacerdos illud oſculatur in medio, Miniſtris genuflectentibus unico genu Cruci, quod hi ſemper ſervare debent in quocumque Altari etiam ſine Sacramento, vel quacumque die Sacerdotibus Celebrantibus, & officium facientibus miniſtrent. — Celebrans deinde accedit ad cornu Epiſtolæ, ubi Prophetiam ſubmiſsâ voce legit ſine titulo (7). — In fine ipſius, Miniſtri non reſpondebunt *Deo gratias* (8). — Lector interim in loco Epiſtolæ legit Prophetiam in ſuo tono conſueto. — Completâ Prophetiâ dicitur in Choro Tractus, qui dum cantatur cum pauſis, Sacerdos cum Miniſtris ſi velit ſedere poteſt. — Finito Tractu Sacerdos in cornu Epiſtolæ dicit *Oremus*. — Diaconus ante alios genuflectens dicet: *Flectamus genua* — ſtatim omnes genuflectant (9). — Subdiaconus ante alios ſurgens dicit: *Levate*, & tunc omnes ſurgunt. — Deinde Sacerdos manibus junctis mox extenſis, in tono feriali dicit Orationem, non dicens ante ipſam *Dominus vobiſcum* (10). — Subdiaconus depoſitâ plicatâ, facta Altari genuflexione in loco conſueto cantat lectionem

ctionem in tono Epiſtolæ. — Duæ lectiones dicuntur (11). — Lectione completa, Subdiaconus facta altari genuflexione, reddito Miſſali Acolytho vel Cæremoniario, reaſſumptâ Plicatâ ſine oſculis manus Celebrantis, & ſine benedictione redit ad locum ſuum. — Sacerdos lecta ipsa lectione dicit Tractum. — Duo Tractus hodie dicuntur (12). — Cantato Tractu in choro, tempeſtivè ſint ad altare tres Cantores, qui cantaturi ſunt Paſſionem, & ab illis in acceſſu & receſſu omnia ſerventur, quæ de eis Dominicâ Palmarum dicta ſunt. — Cantatur Paſsio ſecundum Joannem (13). — Cantatur ſupra nudum pulpitum, vel ſuper nudum legile (14). — Dum à Cantoribus inchoatur Paſsio, Sacerdos eam ſubmiſſa voce legit in cornu Epiſtolæ, aliquantulum converſus cum Miſſali ad Cantores. — Ad mortem Chriſti non genuflectit niſi cum Cantoribus. — Cum pervenerit ad illam partem, quæ ſtat loco Evangelii eam legit in eodem loco Epiſtolæ, dicto ubi prius, aliquantulum converſus ad medium Altaris, *Munda cor meum*; non tamen petit benedictionem, nec dicit: *Jube Domine benedicere*. (15) — Lecta ea parte Paſſionis, quæ ſtat loco Evangelii in eodem cornu Epiſtolæ convertit ſe ad Cantores cum Miniſtris ſuis in linea, unus a ſiniſtris alterius. — Genuflectunt omnes in morte

Chri-

Chriſti, ut dictum eſt Dominicâ Palmarum. — Cantores completâ Paſſione, factâ Altari genuflexione, & Sacerdoti & Miniſtris reverentiâ revertuntur in Sacriſtiam eodem ordine, ut dictum eſt Dominicâ Palmarum. — Diaconus deponit Plicatam, quam non reaſſumit niſi completa totaliter functione. — Ponit librum ſuper Altare. — Genuflectens dicit *Munda cor meum*, — non petit benedictionem, ſed medius inter Ceroferarios ſine candelabris ſed manibus junctis, & ſine incenſo (16) cantat eam partem Paſſionis, quæ ſtat loco Evangelii. — In fine non portatur Miſſale deoſculandum Celebranti, ſed Miniſtri Sacri unus poſt alium ſtant in loco Epiſtolæ manibus ante pectus junctis. — Sacerdos poſt quamcumque monitionem, orationem propriam ſubdit, ad unamquamque quarum manus extendit, ut in Miſſa (17). — Diaconus ante omnes orationes poſt monitionem, dicto a Sacerdote *Oremus*, dicit *Flectamus genua*, præterquamquod ad orationem pro Judæis (18). — Subdiaconus autem dicit *Levate*. — Ad orationem pro Judæis non dicitur *Oremus*. (19) Orationes tandem pro omnibus fiunt (20).

MYSTICÆ EXPOSITIONES.

(1) *Tabulæ vel ligni ſonus terrorem ſignificat Judæorum incuſſum Apoſtolis, vel ſolum*

lum lignum ſonat, quia nunc ſolus Chriſtus in ligno pendens prædicabat. Minus etiam ſonat lignum quam æs; quia in Paſſione plus de Chriſto loquebantur Mulieres quam Apoſtoli. Gav.

(2) *Completâ nonâ; quia horâ nonâ expiravit Chriſtus ad cujus quaſi funus accedimus cum Nicodemo & aliis.*

(3) *Non dictis pſalmis pro præparatione Miſſæ, quia hodie non celebratur, vel quia hodie verè immolatus eſt Chriſtus & veniente veritate debet ceſſare figura, vel quia receſſit & ſublatus eſt verus Sacerdos, ideſt Chriſtus Sponſus Eccleſiæ,* Jo. Beleth.

(4) *Proſternunt ſe, proſternentes ſe ei, qui humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad Mortem, vel ad ſignificandum quod per peccatum homo dejectus eſt uſque ad inferos, ſed Paſſione Domini noſtri Jeſu Chriſti reſurget ad gloriam.*

(5) *Unam tobaleam extendunt; unam tantum, vel ad denotandam ſindonem, in qua Chriſti Corpus involutum fuit; vel quod veſtis inconſutilis Chriſti non fuit ſciſſa neque diviſa, quò etiam ſignificatur myſticè unitatem Eccleſiæ non poſſe ab Hæreticis & Schiſmaticis ſcindi cum nulla ſit ſapientia adverſus Dominum.*

(6) *Miſſale apertum in cornu Epiſtolæ, ad ſignificandum quod primo Deus venit pati in Mundum vocaturus Hæbreos.*

(7) *Sine titulo legitur Prophetia; Titulus enim*

enim caput eſt lectionis, & nos ſine capite ſumus cum Chriſtus hodie repraheſentative occiditur.

(8) *Non reſpondetur Deo gratias; ad ſignificandum in Paſſione Dominum Jeſum convitiis, & contumeliis non laudibus fuiſſe adpetitum.*

(9) *Omnes genuflectant, Eccleſia enim orans flectit genua in orationibus, ut per habitum corporis devotionem, & mentis humilitatem oſtendat.*

(10) *Non dicitur Dominus vobiſcum, quia moriente ſummo Sacerdote ceſſant Sacerdotis officia.*

(11) *Duæ lectiones, ſeu prophetiæ dicuntur; ad denotandum Chriſtum paſſum fuiſſe pro duobus potiſſimum populis Hebræo, ſcilicet, & Gentile. Una autem ipſarum ex lege ſumpta eſt videlicet ex Exodo, & altera ex Oſea Propheta; quia Chriſti paſſio a lege fuit præfigurata & a prophetis prædicta*, Jo. Beleth.

(12) *Duo Tractus hodie dicuntur; ad oſtenſionem majoris luctus; ſcilicet pro peccatis quæ committimus, & pro pœnis, quæ, propter ipſa patimur & pro incolatu qui prolongatur.*

(13) *Cantatur Paſſio ſecundum Joannem; non ſolum quia in ordine ultimo ſcripſit, ſed etiam quia cum Chriſti Paſſio hodie oculis noſtris repraheſentetur congruum eſt Joannis teſtimonium, quia ipſe vidit, Crucifixioni interfuit & fugientibus aliis*

ipſe

ipſe juxta Crucem ſtetit ſecurus.

(14) *Super nudum pulpitum; vel quia nudus in Cruce pependit Chriſtus; vel quia Chriſto in Cruce nudato, omnia nuda ſunt, & ſcriptura revelata.*

(15) *Non petitur Benedictio; quia mortuum pro nobis reprahefentamus Authorem omnium Benedictionum.*

(16) *Sine Candelabris, & ſine incenſo; fiunt enim velut exequiæ Chriſto defuncto in triſtitia & mærore.*

(17) *Manus extendit; ſe conformans Chriſto Sacerdoti ſummo, qui totâ die expandens manus ſuas ad populum non credentem, & contradicentem ſibi, in Cruce expanſis manibus oravit ad Patrem: Pater ignoſce illis, non enim ſciunt quid faciunt.*

(18) *Ad orationem pro Judæis non dicitur Flectamus genua; in deteſtationem eorum, quando genuflexo ante Jeſum illudebant ei dicentes: Prophetiza nobis Chriſte, quis eſt qui te percuſſit.*

(19) *Pro Judæis non dicitur Oremus; quia oratur pro eis utcumque non ſalvandis niſi in fine mundi.*

(20) *Fiunt pro omnibus orationes; quia pro omnibus oravit Chriſtus in cruce.*

CAPUT XIV.

Quæ agenda ſint in denudatione, & adoratione Crucis.

COmpletis omnibus orationibus Sacerdos in eodem cornu Epiſtolæ, facta genuflexione Cruci, deſcendit ab Altare per latus; ibi deponit Planetam, & Subdiaconus Plicatam ſi eâ utatur. — Extenſo opportuno tempore ab Acolythis tapete, & inſuper mappulâ ſericeâ vel lineâ mundâ cum Cuſſino nigri, vel ſaltem violacei coloris pro collocanda Cruce ad adorationem. — Sacerdos accedit ad cornu Epiſtolæ ad angulum poſteriorem, quaſi collateralis Candelabris (1) — Subdiaconus ibi a ſiniſtris ejus. — Diaconus accedit ad Altare, reverenter unico genu Cruci ſuper ſuppedaneum genuflectit: accipit Crucem, quam devotè ſine oſculis tradit Celebranti, facie Chriſti verſa ad populum, & remanet ad dexteram Sacerdotis. — Sacerdos detegit ſummitatem Crucis (advertens ne diſcooperiat nunc caput Crucifixi) adjutus in hoc a Miniſtris ſacris, vel a Cæremoniario vel Miniſtro ſi opus ſit (2). — Thuriferarius tenens elevatum Miſſale apertum, accedit ad Celebrantem, ante quem ſtat eumdem librum tenens. —

Sa-

Sacerdos utrâque manu Crucem elevat ad altitudinem ſuorum oculorum (3) —— oſtendit eam populo, deinde voce gravi, & devota, dicit ipſe ſolus: *Ecce lignum Crucis* (4). —— Ad hæc verba omnes de Choro ſtant nudo capite. —— Diaconus, & Subdiaconus cum Miniſtro, ſi adſit, proſequntur cum Celebrante: *In quo ſalus mundi pependit*, (5) —— Chorus reſpondet *Venite adoremus* —— & omnes genufle-ctunt capite etiam demiſsè inclinato, excepto tamen Celebrante, qui ſemper ſtat. Omnes de Choro reſpondent: *Venite adoremus*, & omnes de Choro adorant Crucem genufleđendo (6). —— Deinde procedit Sacerdos ad anteriorem partem anguli ipſius cornu Epiſtolæ ad locum ubi legitur Introitus Miſſæ, medius inter Diaconum, & Subdiaconum (7). —— Ibi detegit brachium dexterum Crucis, & caput figuræ Crucifixi (8). —— Altius hìc paulatim elevat Crucem, & vocem cantando ſolus ut ſupra: *Ecce lignum Crucis*. —— Proſequntur Miniſtri Sacri ut ſupra. —— Et Chorus pariter ut dictum eſt. —— Accedit ultimò Celebrans ad medium Altaris inter Miniſtros (9), —— ubi verſus ad populum diſcooperit totaliter Crucem (10). —— Altius eam attollendo, & vocem elevando dicens: *Ecce lignum Crucis &c.* —— Miniſtri Altaris proſequntur cum illo: *In quo ſalus mundi pependit*. —— Chorus reſpondet:

Venite adoremus, & omnes tertiò genufle-ctunt. — Interim per Eccleſiam omnes Cruces diſcooperiuntur per Sacriſtam, vel alios Clericos, non tamen diſcooperiuntur Imagines Sanctorum (11); quod paucis quidem in Eccleſiis obſervatur, ut verè obſervandum eſſet. — Celebrans ſolus ambabus manibus tenens elevatam Crucem ante pectus, verſa facie Crucifixi ad populum, inceſſu gravi & devoto portat Crucem ad locum præparatum. — Ibi genuflectens utroque genu eam collocat ſuper Cuſſinum. — Surgit & facta iterum unico genu genuflexione vadit ſolus ad ſcamnum nudum præparatum in cornu Epiſtolæ, — ibi deponit calceamenta (12), — ſolus deinde, manibus ante pectus junctis devotè procedit ad adorandam Crucem ter genuflectens utroque genu, & parumper orans in tribus locis ſeu manſionibus diſtinctis (13). — In ultima poſt brevem orationem deoſculatur pedes Crucifixi (14). — Facta adoratione Crucis, ſurgit, & facta illi denuo unico genu genuflexione vadit per breviorem viam ad ſcamnum in Cornu Epiſtolæ, ubi reaſſumit calceamenta. — Miniſtri ſacri bini & bini cum cæteris de Choro procedant ad trinam adorationem Crucis. — Subdiaconus ſine Plicata, quam poſt adorationem reaſſumit, & cum Diacono & Miniſtro, ſi adſit, adorata Cruce vadit ad Ce-

Celebrantem, cui ſedentes cum ipſo ſuſtinentes ante ipſum Miſſale, quod etiam per Acolythum ſuppleri poteſt, legunt Improperia. —— Advertendum tamen eſt, quod ſi in Cruce, quæ diſcooperitur, fuerit aliqua pars veræ Crucis ob majorem ipſius decentiam, completâ ultimâ oſtenſione ipſius ad populum, non collocatur illa ſuper Cuſſinum adoranda, ſed collocabitur a Diacono in medio Altaris, & ſuper Cuſſinum portanda pro adoratione ſubrogabitur altera, in qua non ſit ulla pars veræ Crucis. Cum primò Sacerdos proceſſerit ad adorandam Crucem, in Choro voce gravi & devotè cum pauſis, non præcipitantèr, cantantur Improperia (15). —— Circa finem adorationis Ceroferarii accendunt ſex candelas altaris, & Candelabra duo ſuper Credentiam. —— Diaconus antequam reportet Crucem extendit de burſa, quam accipit de credentia, Corporale ſuper menſam Altaris, & Purificatorium. Bacile cum Vaſe aquæ ad purificationem digitorum locetur ſuper menſam Altaris in cornu Epiſtolæ. —— Miniſter, vel eo abſente, Acolythus, ſeu melius, Subdiaconus defert Miſſale ad cornu Evangelii (16). —— Acolythi, vel Acolythus ſi unum ſit Thuribulum præparent illud vel illa in Sacriſtia. —— Alter Subdiaconus delaturus Crucem proceſſionalem, parat ſe Amictu, Albâ, Cingulo, Planetâ plicatâ

 ni-

nigrâ ſine Manipulo, & ſi non utatur Plicata, ut in minoribus Eccleſiis, ſine Manipulo in albis. — Si non adſit Subdiaconus deferens Crucem, eam deferat Clericus Superpelliceo tantum indutus. — Propè Capellam ubi eſt Sacramentum præparetur Baldachinum, cujus haſtæ tempore opportuno diſtribuantur. — Interim diſtribuantur Clericis intorticia & faces pro Proceſſione. — Completa adoratione Crucis, Diaconus pergit ad locum ubi Crux adorata fuit. — Facta genuflexione unico genu, reverenter eam ſumit, & elevatam ambabus manibus neminem incedendo ſalutans, nec quidem proprium Epiſcopum ſi functioni intereſſet, inceſſu gravi & devoto eam portat & collocat ſuper Altare in medio in loco ſuo (17). — Tranſeunte Diacono cum Cruce omnes ipſi genuflectunt, etiam ipſe Sacerdos hodie. — His omnibus peractis procedunt ad locum Sacramenti hoc ordine. — Primò Acolythi, vel Acolythus cum Thuribulo. — Subdiaconus cum Cruce proceſſionali, medius inter duos Ceroferarios, Clerici bini & bini, mox Sacerdotes, Subdiaconus, Diaconus, Miniſter ſi adſit, & ultimo loco Sacerdos, unus poſt alium, manibus ante pectus junctis, omnes nudo capite, & facta prius ab omnibus genuflexione unico genu Cruci Altaris.

MY-

MYSTICÆ EXPOSITIONES.

(1) *Ad cornu Epiſtolæ primò diſcooperitur Crux ; quia primò ab extremis terræ omnia vincens non ferro ſed ligno cuncta traxit ad ſe Jeſus Chriſtus Dominus noſter.*

(2) *Summitatem Crucis diſcooperit ; ad ſignificandum cum primò a Judæis illuſus eſt Chriſtus in Prætorio, quando velata facie ipſius illudebant ei, ad quod denotandum, in principio denudationis Crucis non oſtenditur facies Crucifixi.*

(3) *Tripliciter elevatur Crux. Triplex elevatio Crucis triplicem triumphum Chriſti ſignificat, quem de Morte, de Inferno, & de Judæis crucifixoribus, morte ſua reportavit.*

(4) *Ipſe ſolus dicit Ecce lignum Crucis ; ſolus cantat : Ecce lignum Crucis ad ſignificandam ignominiam Crucis convertendam eſſe in gloriam Crucifixi Domini, & tunc primò converſam, quando Centurio primus ait : Verè Filius Dei erat homo iſte.*

(5) *Proſequuntur Miniſtri : In quo ; ad ſignificandum, quod non ſolum Centurio, ſed qui cum eo erant percutientes pectora ſua revertebantur dicentes : Verè filius Dei erat iſte.*

(6) *Omnes de Choro reſpondent : Venite &c. & adorant Crucem ; quia gloria Crucis toto orbe terrarum diffuſa Regibus &*

Principibus pratioſa, a mari uſque ad mare, & ubique uſque ad terminos orbis terrarum prædicatur, adeout non ſit qui ſe abſcondat a luce gloriæ ipſius.

(7) *In angulo cornu Epiſtolæ; quia paulatim diffuſa eſt lex Evangelica, & ab extremis terræ prædicantibus Apoſtolis Chriſti nomen eluxit.*

(8) *Brachium dexterum Crucis cum capite Crucifixi detegit; ad ſignificandam ſecundam illuſionem contra Chriſtum, quando milites coronam de ſpinis capiti ejus impoſuerunt, & illudentes conſpuebant faciem ejus, & poſuerunt arundinem in dextera ejus ad quod repræſentandum ſecundâ vice diſcooperitur dexterum brachium & caput Crucifixi.*

(9) *Accedit ad medium Altaris; ad denotandum quod fides & Evangelium ab Apoſtolis prædicatum eſt inter gentes, & quod operatus eſt Jeſus ſalutem in medio terræ.*

(10) *Detegit totaliter Crucem; ad ſignificandam tertiam illuſionem Chriſti, quando ipſi in Cruce poſito, omnes tranſeuntes illudebant, quia videbant eum nudum, & ideo tertia vice tota revelatur Crux.*

(11) *Non deteguntur Imagines Sanctorum; quæ cum ſignificent gloriam beatitudinis, & gloriam triumphantis Eccleſiæ non diſcooperiuntur niſi Sabbato Sancto ad illam petitionem Litaniarum: Omnes Sancti & Sanctæ Dei intercedite pro nobis.*

(12) *Sa-*

(12) *Sacerdos deponit calceamenta ; denudatis pedibus pergimus ad Crucis adorationem , ut omnes proprias affectiones Chriſto nudas ac notas eſſe monſtremus .*

(13) *Genuflectit & orat in tribus locis ; ad compenſandas in quantum poſſumus tres illuſiones Chriſto factas , de quibus ſupra dictum eſt .*

(14) *Deoſculatur pedem Crucifixi , ut mentis humilitatem per corporis habitum oſtendamus .*

(15) *Cantantur Improperia ; quæ continent verba latina & græca in laudem Chriſti , non hæbrea ; quia Judæi negavere Chriſtum , & reprobavere ; notandum quod Judæi tres accuſationes contra Chriſtum propoſuerunt ; ſcilicet quod tributum negaſſet , quod ſe Regem feciſſet , & quod ſe Dei Filium dixiſſet ; contra quas tres in ejus perſonam accuſationes dicuntur , ſcilicet : Popule meus , ubi Chriſtus eis exprobrat tria beneficia ſua ; ſcilicet liberationem ab Ægypto , regimen in deſertum , & introductionem in terram optimam , quaſi dicat : Tu accuſas me de negatione tributi , potius deberes gratias agere ; quia liberavi te a tributo , ſive a ſervitute Ægypti . Tu accuſas me , quia me Regem dixi , potius deberes gratias agere , quia te rexi in deſerto , & regaliter pavi . Item accuſas me , quia Filium Dei me dixi , potius deberes gra-*

gratias agere, quia terram lacte & melle manantem contuli tibi.

(16) *Miſſale defertur ad cornu Evangelii; quo ſignificatur repudium Sinagogæ, & adoptatio Gentium in filios.*

(17) *Collocatur Crux in medio Altaris; quia Chriſtus nunc ſuper Eccleſiam, quæ per Altare deſignatur quieſcit, & uſque ad finem mundi quieſcet.*

CAPUT XV.

Quæ agenda ſint in Proceſſione, & officio Feria ſexta in Paraſceve.

OMnibus ritè præparatis & optimè diſpoſitis pro Proceſſione, cum Celebrans & alii pervenerint ad Sacellum, in quo Auguſtiſſimum Sacramentum aſſervatur; ad Altare accedunt, ad quod in linea genuflectunt ſed utroque genu in plano Capellæ, ex Cærem. Episcop. — Sic genuflexi parum orant — Subdiaconus verò de Cruce, nec Ceroferarii genuflectunt, ſed ſtant in loco unde facilè exire poſſint, & aliis non ſint impedimento —. Accenduntur faces & intorticia, quæ ardebunt uſque ad Communionem Sacerdotis incluſivè, & poſtea extinguentur. — Diaconus ſurgens ab oratione, facta genuflexione, aperit Capſulam Sa-

Sacramenti, eâque apertâ, iterum genuflectit, & accedit ad Sacerdotem, cui ſine oſculis & non dicens: *Jube Domne benedicere*, miniſtrat Naviculam incenſi. — Sacerdos ſine benedictione ſtans imponit incenſum in Thuribulum primi Thuriferarii, mox alterius, ſi adſit, (1) — accepto a Diacono primo Thuribulo, ter incenſat Sacramentum, inclinans ſe profundè ante & poſt incenſationem, elevantibus interim Diacono, & Subdiacono Planetam. — Thuriferarius recepto a Diacono Thuribulo ad cornu Evangelii accedit, ubi genuflectit e regione alterius, ſi duo ſint; alioquin ſe retrahit in cornu Epiſtolæ, in plano Capellæ expectans ibi quod moveatur Proceſſio. — Miniſtri ſacri interim Velum humerale, humeris Sacerdotis aptant. — Diaconus ad Altare aſcendit. — Facta genuflexione Calicem extrahit velo ſuo albo coopertum, tenens illum ut ſupra Feria V. eodemque modo ſtans illum tradit Celebranti genuflexo utroque genu, quem ille accipit, & a Diacono tegitur extremitatibus Veli humeralis, ut dictum eſt ſupra eadem Feria V. in Cœna Domini. — Cantores genuflexi intonant Hymnum: *Vexilla Regis prodeunt* (2) — Sacerdos adiutus a Miniſtris ſurgit Calicem tenens, & ſi numerus Cleri, & Sacerdotum ſit copioſior ſtat ad Altare converſus ad populum, medius inter Diaconum a dextris,

& Subdiaconum a ſiniſtris ſuper ſuppedaneum. — Sacerdos cum miniſtris dicit ſubmiſsa voce prædictum Hymnum. (3) — Cum pervenerit ad Capellam in qua officium celebrandum eſt, Subdiaconus loco apto deponit Crucem, & Ceroferarii Candelabra ſuper Credentiam, vel in alio loco proprio. — Subdiaconus ille, ſi tamen alter eſſet, ac Subdiaconus Miſſæ, ut certe conveniret, recedit in Sacriſtiam, & deponit paramenta. — Si vero eſſet idem Snbdiaconus Miſſæ in minoribus Eccleſiis, depoſita Cruce prope Credentiam expectat Sacerdotem ad Cancellos, & cum eo pergit ad ſiniſtram, & Diaconus nunc mutat locum pergendo ad dexteram Celebrantis. — Sacerdos ad Altare in ultimo gradu prope ſuppedaneum ſtans, tradit Calicem Diacono utroque genu genuflexo ſuper ſuppedaneum in cornu Epiſtolæ, quaſi renes ei vertenti, & illum aliquantulum tenet ante Celebrantem ut eum adoret, & cum collocaverit in medio Altaris ſuper Corporale adhuc tectum ſuo parvo velo, genuflectit utroque genu renes vertens ad cornu Epiſtolæ, ne terga vertat Sacramento vel Sacerdoti, qui ſublato per Miniſtros velo humerali adhuc genuflectit cum Subdiacono. — Diaconus deſcendit ad dexteram Celebrantis, ei miniſtraturus Naviculam incenſi, quod erectus ponit ſine benedictione in Thuribulo primi Ceroferarii.

Tunc

—— Tunc incenſat genuflexus Sacramentum ter de more, facta ante & poſt incenſationem profunda capitis inclinatione. —— Abſtinet ſemper Diaconus hoc mane ab oſculis, ſicut Sacerdos a benedictionibus (4). Reddito Thuribulo poſt incenſationem Sacramenti Diacono, & a Diacono Thuriferario, Sacerdos cum Miniſtris aſcendit ad Altare, —— genuflectunt omnes unico genu. —— Diaconus amovet parvum velum de Calice, inde Patenam, mox Pallam, poſtea iterum genufleĉtunt. —— Deinde acceptâ Patenâ, eam elevatam tenet ſuper Corporale coram Sacerdote. —— Sacerdos accipiens Calicem, Hoſtiam Sacram deponit ſuper ipſam Patenam, quam tenet Diaconus. —— Advertant ambo ne ullo modo Hoſtiam Sacram tangant; & ſi fortè tetigerint ſe ſe purificent aqua ad id præparata in cornu Epiſtolæ, & abſtergant ſe Purificatorio. —— Celebrans Calicem collocat in loco ſuo de more. —— Sacerdos de manu Diaconi ambabus manibus accipiens Patenam cum Sacra Hoſtia ſine oſculis, ponit ipſam ſuper Corporale in medio, non faciens cum Hoſtia ſignum Crucis, nec aliquid dicens (5). —— Patenam Celebrans non ſubtus Corporale, ſed ſuper illud in loco ſuo collocat (6). —— Subdiaconus qui erat a ſiniſtris Celebrantis, ſi non adſit Miniſter, accedit ad dexteram Diaconi, non omittens tamen in receſſu, &

ac-

acceſſu debitas genuflexiones. — Diaconus imponit vinum in Calicem, non tamen prius illum extergit Purificatorio ob ſacras ſpecies. — Subdiaconus aquam infundit ſine benedictione a Sacerdote, & ſine conſueta oratione: *Deus qui humanæ ſubſtantiæ*. — Diaconus deinde ſine oſculis tradit Calicem Celebranti, qui non faciens cum ipſo ſignum Crucis, collocat illum ſuper Corporale, quem ſtatim Diaconus cooperit Palla, non tamen genuflectens (7). — Subdiaconus revertitur ad locum ſuum. — Celebrans vero ſine benedictione, & nihil dicens imponit incenſum in Thuribulum, & ante facta genuflexione incenſat oblata more ſolito (8). — An poſt oblata incenſanda ſit Crux, conſulantur Authores; videatur primum Dubium in ſecundo tomo meorum Dubiorum; videatur quoddam aſſertum Decretum Sacræ Congregationis Rituum de anno 1696. diei 5. Julii ad quod &c. — Deinde poſt incenſationem oblatorum, facta iterum genuflexione, incenſat Altare more ſolito, dicens quæ præſcribit Miſſale in incenſatione prædicta cum Diacono, genuflectentibus tamen omnibus dum tranſeunt ante Sacramentum. — Diaconus & Subdiaconus in locis ſuis elevant Planetam Sacerdotis incenſantis, non totaliter, ſed tantillum, ait Michael Bauldry. — Completa incenſatione Celebrans in cornu

nu Epiſtolæ, interim dicens: *Accendat in nobis Dominus &c.*, tradit Thuribulum Diacono, qui nec Thuribulum, nec manum Celebrantis oſculatur, ſed illud tradit Acolytho, non incenſato ne quidem ipſo Celebrante. — Thuribulum removetur, & ab Acolytho portatur in Sacriſtiam. — Celebrans deſcendit in planum Capellæ & lavat manus, facie verſa ad populum, non dicens pſalmum *Lavabo* (9). Acolythus miniſtrat aquam, vel potius Subdiaconus, & Diaconus manutergium ut in Miſſis Defunctorum. — Sacerdos redit ad Altare, Diaconus ad librum, ſi non adſit Miniſter; alioquin ad locum ſuum, Subdiaconus ad Altaris medium in plano; omnes tamen cum debitis genuflexionibus unico genu. — Celebrans junctis manibus, ſuper Altare inclinatus, ſubmiſſa voce dicit: *In ſpiritu humilitatis*. — Deinde oſculato Altari genuflectit, & converſus ad populum, ſe retrahens aliquantum verſus cornu Evangelii, ne terga vertat Sacramento dicit: *Orate Fratres*, & per eandem viam, non perficiens circulum revertitur ad medium, iterumque genuflectit. — Non reſpondetur: *Suſcipiat Dominus* (10). — Celebrans cantat in tono feriali: *Oremus præceptis ſalutaribus &c.* (11) — Deinde dicitur in eodem tono feriali *Pater noſter* (12). — Chorus reſpondet in fine: *Sed libera nos a malo*. — Inci-

cipiente Sacerdote *Pater noſter*, Diaconus facta genuflexione deſcendit poſt ipſum ubi manet ante Subdiaconum ſtantem in plano uſque ad Elevationem. — Sacerdos ſub ſilentio dicit: *Amen*. — Deinde in tono orationis ferialis alta voce dicit Emboliſmum, ideſt: *Libera nos quaſumus Domine &c.* manibus extenſis non ſe ſignans Patenâ, & in fine Chorus reſpondet: *Amen* (13). Deinde Sacerdos devotè genufleĉtit, & inde ereĉtus ſubmittit Patenam Hoſtiæ, quam Hoſtiam Sacram dexterâ accipiens elevat, ut a populo videri & adorari poſſit (14). — Non excedit limites Corporalis in Elevatione propter ſacra fragmenta. — Siniſtrâ tenet Patenam ſuper Corporale. — Ad elevationem Hoſtiæ non incenſatur: non pulſatur tabula lignea, non elevatur Planeta Celebrantis, *ne videatur hodie conſecrata*. — Diaconus, & alii Miniſtri genufleĉtunt; ille in ſecundo gradu Altaris, cæteri alii in loco ſuo. — Elevatâ Hoſtiâ Celebrans eâdem manu dexterâ reponit eam ſuper Patenam, & ſtatim iterum genufleĉtit, ſurgit, & Miniſtri cum eo. — Diaconus accedit ad dexteram. — Subdiaconus ad ſiniſtram. — Diaconus diſcooperit Calicem ſine genuflexione (15). — Sacerdos Hoſtiam Sacram in tres partes dividit, quarum minorem ponit in Calicem (16). — Sine tamen ſigno Crucis, & nihil di-

cens

cens (17). —— Non dicitur *Agnus Dei* (18). —— Diaconus tegit Calicem, & tunc ipſe Sacerdos & Subdiaconus genuflectunt (19). —— Celebrans junctis manibus ſuper Altare dicit tantummodo: *Perceptio Corporis tui &c.* (20) Interim Diaconus & Subdiaconus mutant locum. —— Diaconus accedit ad librum, ſi non adſit Miniſter, alioquin ad locum ſuum. —— Subdiaconus ad dexteram Celebrantis, genuflectentes ambo in receſſu & acceſſu. —— Sacerdos dicta oratione: *Perceptio &c.* genuflectit, ſurgit, ac devotè dicit: *Panem cœleſtem accipiam*. —— Accipit Hoſtiam cum Patena in ſiniſtra de more, & inclinatus dicit ter cum Miniſtris, & ſibi percutiens pectus: *Domine non ſum dignus*, —— erectus ſe communicat, dicens: *Corpus Domini noſtri &c.*, & ſe ſignans cum Hoſtia. —— Solus Sacerdos communicatur (21). —— Sumpto a Sacerdote Corpore Chriſti Subdiaconus detegit Calicem debita facta ab omnibus genuflexione. —— Sacerdos omiſſo: *Quid retribuam Domino*; & *Sanguis Domini noſtri* (22). —— Collectis fragmentis, ſi quæ Corporali adhæſerunt, & in Calicem immiſſis accipit Calicem, & particulam Hoſtiæ cum vino conſumit, nihil dicens, neque ſe cum Calice ſignans, Miniſtris interim profundè inclinatis. —— Subdiaconus de more miniſtrat ampullas vini & aquæ, non ad pu-

purificationem quæ omittitur, ſed ad ablutionem digitorum. — Digitis deinde exterſis, Sacerdos ſumpta ablutione, ac exterſo ore, inclinatus in medio Altaris, manibus ante pectus junctis dicit: *Quod ore ſumpſimus Domine*. — Tunc extinguntur cerei, & etiam candelæ de Credentia. — Sacerdos non dicit: *Corpus tuum*, nec Poſtcommunionem, nihilque aliud (23). — Non dicitur: *Placeat tibi Sancta Trinitas* (24). — Non datur Benedictio (25). — Diaconus claudit librum Miſsale, ſi non adſit Miniſter; alioquin a Miniſtro clauditur. — Subdiaconus extergit Calicem; Corporale in burſa reponit: Calicem ſuo velo cooperit, & ſuper illum poſitâ ſuâ burſâ ad Credentiam reportat, & Acolythus in Sacriſtiam. — Redit Subdiaconus ad Altare factâ tamen ante, dum diſcedit, & dum revertitur genuflexione. — His peractis, Sacerdos cum Miniſtris deſcendit in planum, ubi facta ab omnibus genuflexione, accepto Bireto a Diacono, vel a Miniſtro ſi adſit, ſine oſculis, revertuntur eodem ordine, quo venerunt in Sacriſtiam, præcedentibus Thuriferario ſine Thuribulo, & Ceroferariis ſine Candelabris, ſed omnes manibus ante pectus junctis.

Miniſter ſi adſit ante adorationem Crucis deponit Pluviale, & ipsâ adoratâ illud reaſſumit; nunquam tamen diſcedit a li-

libro, cujus eſt Miniſter. — Genufle-ctit & ipſe cum aliis ad adorationem Crucis cum a Choro cantatur : *Venite adoremus*. — Amovet librum cum Sacerdos incenſat Altare. — Tempore Elevationis genufleƈtit. — Cætera omnia ut in aliis ſacris functionibus in his quæ ſpectant ad Miniſtrum.

MYSTICÆ EXPOSITIONES.

[1] *Sine benedictione ponitur Incenſum in Thuribulis; non benedicitur tamen, quia hac die mortis Chriſti videtur congruum nihil prorſus benedicere.*

[2] *Cantatur Hymnus Vexilla; proprium enim eſt, & valde conveniens ut dum Chriſti funus peragitur, Crucis lignum celebretur, per quod vita perdita nobis eſt data.*

[3] *Submiſſa voce Hymnum dicit Sacerdos; ne confuſio oriatur in Proceſſione cantantibus aliis, aliis vero alta voce recitantibus eadem qua chorus cantat.*

[4] *Abſtinet ab oſculis; ob apertam præſentiam Sacramenti.*

[5] *Non faciens ſignum Crucis; cum enim conſecrata ſit, non eſt collocanda ſuper Altare ſub invocatione & omine ſigni Crucis.*

[6] *Ob reverentiam ſacrarum ſpecierum, ſi quæ forte ei adhærerent; neque datur Subdiacono; quia traditio ipſius illi cum*

ſit

ſit ritus lætitiæ & gaudium continens de æterna vita non congruit cum mærore & triſtitia hujus diei.

[7] *Sine ſigno Crucis collocatur Calix a Sacerdote ſupra Corporale, non enim eſt materia præparata ad Conſecrationem; Hodie enim Eccleſia a conſecratione Panis & Vini, ob memoriam mortis Chriſti abſtinet, nec Subdiaconus cooperiendo Calicem debet genuflèctere, ne videatur adorare quod non eſt conſecratum.*

[8] *Ante facta genuflexione, quod valde notandum eſt hoc mane: oblata enim non ſunt nudus panis, ſed in hoſtia quatenus conſecrata eſt, ut vere Corpus Chriſti, ratione cujus hoc mane tantummodo Sacerdos ſe convertens, oblata incenſaturus debet unico genu genuflectere.*

[9] *Non dicitur Pſalm. Lavabo; in deteſtationem illius, qui acceptâ aquâ lavit manus coram omni populo dicens: Innocens ego ſum a ſanguine juſti hujus vos videritis.*

[10] *Non reſpondetur Suſcipiat Dominus; Hoc enim non eſt verè Sacrificium, ſed conſumptio partis Sacrificii præteriti diei.*

[11] *Cantat Oremus Præceptis, &c. Tria hæc ſcilicet Præceptis ſalutaribus moniti, &c. Pater noſter, &c. Libera nos, &c. In memoriam tridui ſepulturæ Chriſti dicuntur.*

[12] *Dicitur Pater noſter; dicitur oratio Dominica ad denotandam antiquam Apo-*

ſto-

ſolorum conſuetudinem in celebranda Miſſa in qua verba conſecrationis Corporis, & Sanguinis, quæ dixit Chriſtus proferebant, & poſtea orationem Dominicam addebant.

[13] Alta voce dicitur Libera nos, ut pateat deſcenſus Chriſti ad Limbum ad liberandos Sanctos Patres.

[14] Elevatur Hoſtia Sacra una tantum manu ad differentiam elevationis quæ aliàs fit poſt conſecrationem, ne hac die videatur de novo conſecrata.

[15] Sine genuflexione; quia in eo non eſt Sacramentum.

[16] Immittit partem Hoſtiæ in Calicem in quo eſt vinum cum aqua mixtum, quaſi dicat, hoc eſt illud corpus de quo ſanguis & aqua fluxerunt.

[17] Non dicitur Hæc commiſtio; quia ibi de ſanguine fit mentio, ſed in Calice tunc Sanguis non eſt, nec hodie conſecratur.

[18] Non dicitur Agnus Dei; quia non videtur eſſe invocandus, qui cernitur in agone deficere, nec pacis oſculum datur in deteſtationem oſculi Judæ.

[19] Genuflectunt; quia in Calice adeſt particula conſecrata.

[20] Omittuntur duæ primæ orationes; quia prima eſt de pace, & in ſecunda fit mentio de Sanguine & hac etiam de cauſa omittuntur aliæ dicendæ ante ſumptionem Sanguinis.

[21] So-

[21] *Solus Sacerdos communicatur ; quia hodie Chriſtus , unum ſcilicet latronem ad cœleſtis gloriæ participationem admiſit : hodie mecum eris in Paradiſo .*

[22] *Omittitur oratio Quid retribuam , &c. quia ibi fit mentio de Sanguine , & in Calice eſt ſolum vinum aqua mixtum cum ſacra Particula .*

[23] *Non dicit Poſtcommunionem , quia jubilum & lætitiam ſignificat , & Eccleſia hodie plorat ; tum etiam , quia nemo alius communicat .*

[24] *Non dicitur Placeat tibi S. Trinitas ; quia hìc diceret Sacerdos ſe obtuliſſe Sacrificium , quod non eſt verum .*

[25] *Non datur Benedictio ; quia receſſit hodie Fons omnis benedictionis .*

CAPUT XVI.

Quæ præparanda ſint Sabbato Sancto pro Officio ejus diei .

SAne ſicut Deus operibus creationis mundi , ſcilicet ſex diebus completis in ſeptima requievit ab omni opere quod patrarat ; ſic & in ſexta ætate recreationis operibus conſumatis , juxta quod Dominus in Cruce pendens dixit : Conſumatum eſt ; in ſeptima ætate requievit . Cum anima ejus de paſſibilitate corporis exivit , quodammodo requievit , præterea in ſepulchro dormivit ,

ideo

ideo dies iſta Sabbatum appellatur, quod requies interpretatur. Antonomaſtice autem Sabbatum Sanctum dicitur, eo quod ſignificat requiem Chriſti ab opere recreationis in fine ſextæ ætatis, vel propter requiem Chriſti, cujus morte ſanctificati ſumus. Dicitur etiam Sanctum propter Baptiſmum quod fit in die iſta, in qua nova proles Eccleſiæ ſanctificatur. Hæc autem dies ſicut præcedens nullum habet officium in quo conſtat Apoſtolos fugiſſe, & in mœrore fuiſſe; Nam officium quod cantatur eſt noctis diei Dominicæ, ut conſtat tùm ex Benedictione, tùm ex Collecta ſolemnis Miſſæ; Dicitur enim in Benedictione Cerei. Hæc nox eſt, & in Collecta Miſſæ dicitur: Deus, qui hanc ſacratiſſimam noctem; unde antiquitus totum officium de nocte dicebatur & adhuc in pleriſque locis fit. Primò ad notandum quod Cathecumeni, quorum eſt ipſum officium, ſepulti cum Chriſto per Baptiſmum reſurgunt cum ipſo. Secundò propter viſitationem Mulierum ad Sepulchrum Domini mane venientium. Tertiò quia Dominus de nocte ſurrexit, & ideo, quia nox illa tanto lumine illuſtrata eſt Domini reſurrectione, merito tunc vigilare, & Deo laudes canere debemus. Credunt quoque ab antiquis patribus accepta traditione Judæi, Chriſtum media nocte venturum, in cujus figura Angelus tranſivit mediâ nocte percutiendo primogenita Ægyptiorum, & Dominus pertranſivit protegendo populum ſuum. Hinc tra-

ditio Apoſtolica permanſit, ut ait Divus Hyeronimus, ut in die vigiliarum Paſchæ ante noctis medium dimittere non liceat populos expectantes Chriſti adventum ut Reſurgenti Salvatori occurrant. Sed quia quod pro devotione fuerat inſtitutum in minus honeſtas actiones, ut ait Guilelmus Durandus Mimatenſis Epiſcopus libro ſexto de Sabbato Paſchæ Cap. 78. num. 3. *Quibus nox facultatem præbet, converſum eſt, inſtitutum fuit ut officium ipſius noctis de die celebraretur.*

Hâc ergo Sacratiſſimâ die quæ Sabbatum Sabbatorum, & primum Sabbatorum appellatur, valde mane cooperiuntur Altaria palliis & ornamentis ac paramentis albi coloris, & iis de prætioſioribus. (1) —— Tabernaculum Sacramenti ſubtus velo tegatur albo, de ſuper velo tegatur violaceo uſque ad finem Litaniarum. —— Altare pallio ſit coopertum albo, & ſuper illud aliud violaceum ſit, aciculis inhærens, ita ut facilè in fine Litaniarum poſſit removeri (2). —— Sex candelæ ſeu cerei albæ ceræ ſuper Altare apponantur. —— Lampades per Eccleſiam omnes extinctæ ſint (3). —— Imagines Sanctorum coopertæ ſint (4). Cruces vero omnes detectæ de heri. —— In cornu Epiſtolæ præparetur ſcamnum nudum vel ſedes pro Sacerdote, & Miniſtris ſi ſedere velint ad Prophetias. —— Illud tamen ſcamnum ante Miſſam decenti Tapete coope-

cooperiendum eſt. —— Super Credentiam præparetur Calix velo tectus albo pretioſo cum Burſa, & Corporali. —— Miſſale pro Miſſa cum duobus Cuſſinis, violaceo uno, albo altero, vel cum legili. —— Miſſale alterum pro Epiſtola, & Evangelio. —— Bacile Ampullarum vini, & aquæ cum Manutergio, —— vel Bacile cum Buccali ad lavandas manus. —— Velum album humerale pro Subdiacono. —— Hæc tamen omnia, vel velo cooperienda ſunt violaceo, ſi præparentur in principio functionis ſuper Credentiam, vel ſuper ipſam poni poſſunt paulo ante initium Miſſæ dum dicuntur Litaniæ, & præparari in Sacriſtia. —— Ad cornu Evangelii præparetur Candelabrum ad collocandum Cereum quinque foraminibus in figura Crucis perforatum (5). —— In eodem cornu Evangelii Pes marmoreus vel de ligno ad ſuſtinendam Arundinem, in cujus ſummitate affixum eſt Lumen Chriſti. —— In eodem cornu Evangelii in plano Capellæ legile albo velo coopertum, & ſubtus velo violaceo, ac ſuper illud Miſſale clauſum pro Præconio Paſchali. —— Super Credentiam, vel alio commodiori loco tres Cuſſini violacei coloris pro Sacerdote, Diacono, & Subdiacono, & etiam quartum pro Miniſtro, ſi adſit, cum ſe proſtrant ante Altare ad Litanias. —— In Choro, vel ante Altare, vel etiam ſuper pulpitum, le-

 gile

gile nudum cum Miſſali ad legendas Prophetias. —— In Sacriſtia præparentur paramenta violacei coloris pro officio ante Miſſam, videlicet Amictus, Alba, Cingulum, Manipulus, Stola, Planeta, Pluviale, Biretum pro Celebrante. —— Duæ Plicatæ violaceæ cum Stola & Manipulo pro Diacono, & Manipulo pro Subdiacono, ſi Plicatis utantur, alioquin ſine ipſis. Manipuli tamen locentur ſuper Credentiam, non enim illos aſſument Diaconus, & Subdiaconus niſi ante Præconium Paſchale. —— Pluviale violaceum pro Miniſtro, ſi adſit. —— Cingula, Amictus, Albæ, & Bireta pro his Miniſtris Sacris. —— Crux proceſſionalis cum ſuo velo violaceo. —— Legile Chori cum velo albo, ac alio velo ſubtus violaceo ad cantandos Tractus. —— Arundo cum tribus candelis in ſummitate, floſculis redimita, & candelæ in formam trianguli diſtributæ ſint (*6*). —— Thuribulum cum Navicula, Cochleari & Incenſo. —— Vas cum aqua benedicta & Aſperſorio. —— Pelvis argentea, vel ex auricalcho cum quinque Granis Incenſi. —— Candelæ aliquæ parvulæ ad accendendum Lumen Chriſti, & mox Lampades. —— Amictus, Alba, Cingulum, Manipulus, Stola, Dalmatica albi coloris cum Bireto & Miſſali pro Diacono Præconium cantaturo. Vas ſeu Cacabus ad novum ignem faciendum. —— Silex & omnia neceſſaria

ad

ad accendendum novum ignem, & ligna comburenda ad ponendum ipſum ignem in Thuribulo. —— Si in Eccleſia ſit Fons Baptiſmalis debet ille ornari majori pompa ut par eſt floribus cum tapetibus, & auleis (7). —— Prope Baptiſterium præparetur Menſa parvula ſeu Credentia, ſupra quam una vel duæ Mappulæ apponendæ pro exterſione manuum Sacerdotis cum aquam tetigerit. —— Vas capax implendum aquâ poſtquam fuerit benedicta ante infuſionem Oleorum, conſervanda pro ſequenti die. —— Aſperſorium cum vaſe pro aqua benedicta. —— Stola violacei coloris pro Sacerdote aſperſionem aquæ ſuper populum facturo. —— Ampullæ Sacri Chriſmatis, & Olei Cathecumenorum ad ea infundenda in aqua benedicta. —— Si aliquis ſit baptizandus vel plures, præparentur tot veſtes albæ, quot ſunt baptizandi, totidemque candelæ, & alia hujus generis ad baptiſmum rite peragendum, ut in Rituali Romano. —— Pluviale inſuper & Stola albi coloris, ut Celebrans iis indutus baptizet Cathecumenos.

MYSTICÆ EXPOSITIONES.

[1] *Paramentis albis; quia jam Eccleſia incipit Reſurrectionis præludia celebrare, & Chriſtus in Reſurrectione ſtolam gloriæ induit.*

 [2] *Pal-*

[2] *Pallio violaceo ſuper album tegatur Altare ; quia nondum manifeſtata eſt gloria reſurrectionis , ſed adhuc durat memoria Paſſionis .*

[3] *Lampades extinctæ ; ad ſignificandum , omnia legalia veteris teſtamenti in Chriſti paſſione fuiſſe completa & exinde debere illa ceſſare .*

[4] *Imagines Sanctorum cooperta ; ſunt eorum imagines ſigna gloria triumphantium , & gloria cœleſtis , quam Chriſtus reſurgens nobis aperuit , quod non adhuc completum Eccleſia reprabeſentat .*

[5] *Qui ſignificat Chriſtum in ſua reſurrectione nova claritate fulgentem ; per ceram enim ejus caro de Virgine aſſumpta figuratur : per lychnum , ipſius anima latens in carne ; per lumen autem ipſius Divinitas , quia Deus noſter ignis conſumens eſt .* Quart. *Per quinque foramina in formam Crucis diſtributa , quinque ejus vulnera qua in Cruce ſuſtinuit pro nobis* , Matt. Eiſengrein ..

[6] *Arundo humilitatem Paſſionis Chriſti deſignat ex qua in fine patuit major gloria Unitatis , & Trinitatis Dei . Vel ſumitur Arundo . quia ſicut illa ſerpentem necat , ita paſſio Chriſti Diabolum vicit . Tres autem candela in calce unita , & inde in triangulum diſtincta , Myſterium Unitatis , & Trinitatis Dei ſignficant .*

[7] *Fons Baptiſmalis ornandus ; recolitur enim hac die memoria Inſtitutionis Sacramenti Baptiſmatis .*

CA-

CAPUT XVII.

Quæ agenda ſint in Proceſſione ad novum Ignem benedicendum, & uſque ad Præconium Paſchale.

PErſolutis ſine cantu, ſine luminibus, & voce demiſſa ac flebili horis canonicis, ac præparatis tandem omnibus, quæ ſupra notata ſunt, dum dicitur Nona extinguitur in Eccleſia antiquus ignis (1), — & ad fores Eccleſiæ excutitur de ſilice, & accenditur novus ignis (2). Parato in Sacriſtia pro Celebrante Stolâ & Pluviali violaceis; & pro Diacono Stolâ & Plicatâ, ſi ea utitur, alioquin in Albis, & cum Stola Diaconali ſine Manipulo, & pro Subdiacono ſimiliter Plicatâ, ſi ea utitur, alioquin in albis procedant ad benedicendum novum ignem, ſive extra Eccleſiam, vel ad ingreſſum ipſius, hoc ordine (3). — Acolythus deferens Vas aquæ benedictæ cum Aſperſorio. — Thuriferarius cum Thuribulo vacuo, & Navicula incenſi. — A ſiniſtris ejus alter Acolythus deferens quinque Grana Incenſi, & Miſſale. — Sequitur Subdiaconus ſolus, paratus ſine Manipulo, deferens Crucem ſine Candelabris (4). — Deinde alter Diaconus paramentis albis indutus deferens Lumen

Chriſti. Deinde Clerus per ordinem. — Ultimo loco Sacerdos tecto capite. — A ſiniſtris ejus Diaconus capite diſcooperto, ſicut & cæteri alii omnes. — Cum pervenerint ad locum, Subdiaconus ſiſtet ſe contra Celebrantem ei imaginem Crucifixi vertens, — Ad dexteram Celebrantis, ſed paulò poſt eum, ſtet Diaconus, & circum Acolythi, de Granis Incenſi, de Thuribulo, de Aqua benedicta, de Miſſali, ordine ſuo. — Sacerdos detecto capite, & manibus ante pectus junctis benedicit novum ignem (5). — Cum Sacerdos format ſignum Crucis, a Diacono ad ejus dexteram ſtante elevatur fimbria Pluvialis. — Benedicto novo Igne, abſolutè ſine *Oremus* incipit benedictionem Granorum Incenſi, quæ in Bacili parvulo Acolythus tenet ante Sacerdotem ad dexteram illius (6). Interim Thuriferarius accenſos carbones ponit in Thuribulum, & finita oratione accedit cum Thuribulo & Navicula ad Celebrantem, — ipſe imponit & benedicit thus more ſolito, miniſtrante Diacono Naviculam more ſolito cum conſuetis oſculis. — Acolythus de vaſe aquæ benedictæ, poſt benedictionem thuris porrigit Aſperſorium Diacono, & hic Sacerdoti, qui ter aſpergit Grana Incenſi, & poſt illa etiam novum ignem, dicens: *Aſperges me &c.*, & ter poſtea & illa & hunc adolet incenſo (7). — Interim

de

de novo igne accenditur aliqua ex parvulis candelis ad accendendum Lumen Chriſti præparatis (8). —— In Eccleſiis ubi tam copioſus non ſit numerus Sacerdotum, ſi Diaconus miniſtrans Sacerdoti non ſit alter ab illo, qui cantaturus eſt Præconium, nunc depoſitis paramentis violaceis, aſſumit paramenta albi coloris, jam præparata ante fores Eccleſiæ interius ſuper aliquam parvam Menſam ſeu Credentiam. (9) —— Subdiaconns Manipulum ſuſcipit. —— Si opus ſit Celebrans iterum imponit & benedicit incenſum in Thuribulo pro Proceſſione facienda. —— Proceſſio ſic ordinatur. Præcedit Thuriferarius, & a dextris ejus Acolythus cum Granis Incenſi in Pelvi. —— Subdiaconus ſequitur deferens Crucem. —— Diaconus cum Arundine Luminis Chriſti, cum Clerico a ſiniſtris tenente Candelam accenſam de novo Igne. —— Clerus per ordinem. —— Ultimo loco Sacerdos tecto capite, & junctis ante pectus manibus. —— Ingreſſus Diaconus Eccleſiam, & cum eo Celebrante ingreſſo, ſiſtunt ſe omnes, accensâque unâ ex tribus candelis ſupra cuſpide Arundinis, genuflectens ipſe Diaconus cum omnibus, excepto Subdiacono deferente Crucem, elevans parum Arundinem dicit in tono ſuo, voce gravi & devota: *Lumen Chriſti* (10). —— Reſpondetur ab omnibus: *Deo gratias*. —— Omnia hæc iterantur ad medium Eccle-

 ſiæ

ſiæ, & tertio loco ante Altare, vel ante Presbyterium, elevando ſemper tamen tantiſper, & in medio, & ante Altare ſeu Presbyterium, & Arundinem & vocem (11). — Celebrans aſcendit ad Altare, & oſculatur illud in medio.

MYSTICÆ EXPOSITIONES.

1) *Extinguitur antiquus ignis, ad ſignificandum omnia legalia Veteris Teſtamenti in Chriſti Paſſione fuiſſe completa & exinde debere illa ceſſare, ut dictum eſt.*

(2) *De ſilice novus ignis. Novus ignis de ſilice excuſſus, Chriſti Reſurrectionem figurat; ſicut enim ex frigido lapide rutilans ignis excutitur, ita e ſepulchro lapideo corpus Chriſti jam mortuum, vivum & ſplendidum ſurrexit, & nova luce refulſit, atque nobis æternæ lucis contulit claritatem.*

(3) *Extra Eccleſiam benedicitur Ignis. Extra portam Eccleſiæ communiter benedicitur Ignis; quia Chriſtus extra Civitatem paſſus eſt: propterea exeamus ad eum extra caſtra, ait Apoſtolus.*

(4) *Nihil enim intereſt, deferre Acolythos candelabra extincta ante Crucem cum ad uſum nunc non ſint.*

(5) *Benedicit novum Ignem. Novus Ignis benedicitur, ut Chriſtus, qui eſt lumen indeficiens, & ignem venit mittere in terram, illuminare dignetur ſenſus & corda noſtra.*

(6) *Sine*

(6) *Sine Oremus ; quaſi conjungens novam benedictionem Incenſi cum præcedenti benedictione Ignis.*

(7) *Cum Cruce & aqua ignem benedicimus ; ut nos in paſſione Chriſti, per quem Spiritum Sanctum accepimus, lotos eſſe ſignificemus.*

(8) *Extincto in lampadibus vetere lumine, novum novo poſtea igni accenditur ; quia in morte Chriſti finem habuit lex antiqua, quæ erat lex timoris, & in ejus reſurrectione principium habuit lex nova, quæ eſt lex amoris novo Charitatis igne e Chriſto manante corda fidelium accendens.*

(9) *Scilicet Manipulum, Stolam, Dalmaticam quam induit benedicturus Cereum : debet enim eſſe ornatus cœleſti converſatione, quæ per Dalmaticam ſignificatur.*

(10) *Tres manſiones, quæ fiunt in accendendis tribus Candelis in Arundine poſitis deſignant tres manſiones Chriſti in his diebus ; ſcilicet in paſſione & in ſepultura, ac reſurrectione, figuratas in manſionibus populi Iſdraelitici : nempe in Ramatha, quæ interpetratur commotio tineæ : In Segor, quæ ſignificat tabernaculum ; in Ethan, quæ interpetratur firmum vel perfectum, vel ſigna ejus. Hæ manſiones his tribus diebus Domini eo aptantur, ſcilicet diebus Paſſionis, Sepulturæ, & Reſurrectionis. Nam in die Paſſionis fuit Dominus quaſi Ramatha ; ideſt in commotione tineæ, videlicet in com-*

commotione Judæorum, qui ad modum tinea partem, immo veſtem inconſutilem Domini, ideſt Eccleſia unitatem, immo & ipſum demoliri nixi ſunt. Sed de hac manſione quaſi exivit cum obiit & venit Segor, ideſt in tabernacula, cum in ſepulchro latuit, & tanquam fortis miles, fortem diabolum ligando, vaſa ejus diripuit: tabernacula enim militantium ſunt. Sed de hac manſione exivit cum reſurrexit & intravit in Ethan, quod interpetratur firmum, ſeu perfectum, ſeu ſigna ejus: quia ipſe reſurgens a mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur, & tunc ſignaculum ſuis fuit cum ipſe eis glorioſus apparuit, & eos tanquam columna ignis illuminavit.

(11) *Ter elevat Arundinem, & vocem Diaconus dicens: Lumen Chriſti: quia humilitas paſſionis, & gloria Trinitatis per lumen Chriſti præfigurata tribus modis poſt reſurrectionem, & exaltata, & manifeſtata fuit, Sacramentis, nempe Miraculis, & Prædicatione.*

CA-

CAPUT XVIII.

Quæ agenda ſint dum cantatur Præconium, & leguntur Prophetiæ.

Diaconus tradita Arundine illi Acolytho, qui candelam accenſam tenebat, vel alteri, accepto libro de manu Cæremoniarii, aſcendit ad ſupremum gradum Altaris, ibique genuflexus, non miniſtrans incenſum, niſi forte jam illud poſitum in Thuribulo conſumptum ſit, & amplius non fumiget, non dicens: *Munda cor meum*, — abſolutè petit benedictionem: *Jube domne benedicere (1)*. Celebrans in cornu Epiſtolæ converſus ad Diaconum dat ei benedictionem, ut in Miſſali hac die, & oſculata manu Celebrantis, ſurgit, & in plano Capellæ genuflectens unico genu, vadit ad locum ubi cantandum eſt Præconium. — Si verò denuò ſit imponendum incenſum, Sacerdos deoſculato Altari ſiſtit ſe in medio ipſius. — Diaconus miniſtrans Naviculam, petit imponi & benedici incenſum in Thuribulo, quo benedicto, redditoque Thuribulo Thuriferario, accipit librum a Cæremoniario, teneſque illum ante pectus, abſolutè ſine *Munda cor meum* genuflexus petit benedi-

ctionem, ut ſit ad Evangelium. — Diaconus Præconii vadit ad legile ſeu ad pulpitum, ponit ſuper illud Miſſale, quod ſtatim aperit (2). — Diaconus & Subdiaconus Miſſæ ſtant in linea in cornu Epiſtolæ, ut in Miſſa. — Si verò Diaconus Præconii ſit idem ac ille de Miſſa (ubi talis ſit conſuetudo) Subdiaconus a dextris ejus tenet Crucem proceſſionalem verſa facie Crucifixi ad Celebrantem. — A ſiniſtris Diaconi ſtabit Acolythus cum Arundine, & ad ejus ſiniſtram Acolythus tenens quinque Grana Incenſi, omnes in linea. — Diaconus accepto Thuribulo ter incenſat librum, facta prius & poſt capitis inclinatione, ut ad Evangelium. — Inchoat Præconium (3), omneſque ſtatim ſurgunt, & ſtant detecto capite. — Sacerdos in linea cum Miniſtris ſacris ſuis ſe convertit, ut in Dominica Palmarum, ad Diaconum Præconii (4). — Poſt verba: *Curvat imperia*, qui ſunt in Choro ſedere poſſunt. Tunc Diaconus infigit quinque Grana Incenſi in Cereum in modum Crucis, ſic: primum in parte ſumma: ſecundum in medio: tertium in parte infima lineæ rectæ: quartum in dextera: quintum in ſiniſtra ejuſdem Cerei (5). Tunc proſequitur Diaconus Præconium, omnibus ſurgentibus & ſtantibus uſque ad illa verba: *Rutilans ignis accendit*, quibus dictis, omnes iterum ſedent. — Diaconus

nus Arundine inclinata, unâ ex Candelis ipſius Cereum accendit (6). — Cum ventum fuerit ad ea verba: *Apis mater eduxit*. Acolythus Candelam accendit de Cereo, & Lampades omnes per Eccleſiam accendit, proximiores tantum, remotiores verò Sacriſta vel alter (7). — Diaconus proſequitur Præconium. — Cum nominatur Pontifex vivens, omnes caput inclinent. — Sede vacante non nominatur. — Quando nominatur Epiſcopus, ſimiliter omnes caput inclinent, ſed minus demiſsè quàm Pontifici. — Sede autem Epiſcopali vacante non nominatur Epiſcopus. — Completa Cerei benedictione Diaconus claudit librum, ibique eum relinquit (8). — Non incenſatur in fine Præconii Celebrans, ſed facta a Diacono Altari genuflexione, & Sacerdoti reverentia, revertitur in Sacriſtiam, ubi deponit paramenta alba, & revertitur in Chorum, ſi ſit Diaconus diſtinctus a Diacono Miſſæ. — Si verò ſit idem qui miniſtrat in Miſſa, ſumpto Manipulo, Stola & Plicata violacei coloris, ſi hac utatur, redit ad Celebrantem. — Celebrans deponit Pluviale in cornu Epiſtolæ, & indutus Manipulo, & Planeta violacei coloris aſcendit ad Altare in cornu Epiſtolæ, ubi legit Prophetias ſine titulo, ſtante Diacono a dextris Celebrantis, & Subdiacono a dextris Diaconi, ut in Miſſa (9). —

Pro-

Prophetias Sacerdos legere poteſt ſedendo, & tecto capite. — Dum deſcendit ab Altari, & vadit ad ſedendum in cornu Epiſtolæ, facta prius Cruci cum Miniſtris capitis inclinatione, deſcendat per ipſum latus Epiſtolæ, & per eumdem ad Altare revertatur, non per medium, ne cogatur toties per medium Altaris tranſire. — Poſt unamquamque Prophetiam Celebrans in tono feriali cantet ſuam propriam orationem, ad quam Diaconus ſtat poſt ipſum, & poſt Diaconum Subdiaconus, ut quando opus eſt dicat ille: *Flectamus genua*, & reſpondeat iſte: *Levate* (10). Qui cantaverit Prophetias, completâ unaquâque earum advertat ne manus Celebrantis unquam deoſculetur. — Poſt nonnullas Prophetias, nempe poſt quartam, octavam, & undecimam cantantur Tractus, qui a Sacerdote leguntur (11).

MYSTICÆ EXPOSITIONES.

(1) *Non dicit Munda cor meum; nam Præconium Paſchale, non eſt ex textu Evangelii.*

(2) *Diaconus etiam præſente Epiſcopo benedicit Cereum, & ad Diaconum illum benedicere pertinet, ut ſatis abundè probavi Dubio 6. Tomi ſecundi Dubiorum, quæ publici juris feci Florentiæ anno* 1727., *enim verò inferioris Miniſtri eſt annun-*

tia-

tiare Chriſti Reſurrectionem ; ſicut inferior mulierum ſexus Apoſtolis ipſis eandem annuntiavit : vel quia Diaconus Angelum ſignificat , qui movebat columnam nubis & ignis , quam indicat Cereus .

(3) *Cantatur Exultet ad excitandum populum ad actus gaudii & amoris erga Redemptorem triumphantem mortis & diaboli , & ad actus gratiarum actionis ob innumera beneficia quæ nobis ex tanto Myſterio proveniunt ; ſicut ex ipſis Præconii verbis conſtat .*

(4) *Benedicitur autem hodie ad repræheſentandum Myſterium ipſius Reſurrectionis , quoniam virtute divinitatis , a mortuis reſurgens novum lumen immortalitatis recepit , & toti mundo mirabiliter illuxit .*

(5) *Thuris Grana ſignificant aromata , quæ mulieres emerunt ut ungerent Jeſum . Quinque ſunt numero in memoriam quinque Plagarum Chriſti . In Cereo infiguntur ; quia plagas in ſuo corpore recepit Chriſtus , in Cereo figuratus . Denique in Crucis modum diſponuntur ad ſignificandum immolationem Chriſti in ara Crucis factam .*

(6) *Accenditur Cereus cum una ex tribus candelis Arundinis ; quia ſicut illæ tres candelæ inclinantur verſus Crucem , & cum una tantum ex iis accenditur : ita reſurrectio Chriſti eſt effectus quidem totius Trinitatis ſed potiſſimum Verbi , quod*

animam carni rurſus univit & immortalitatis glorioſa luce veſtivit. Cereus autem benedictus novo Igne illuminatur; quia Chriſtus poſt plagas & mortem glorioſè ſurrexit, & novâ immortalitatis luce refulſit; ſicut enim Cereus extinctus ſignificat columnam nubis, quæ præcedebat de die Iſdraelitas: ſic quoque nunc dicimus quod illuminatus & in candelabro collocatus denotat eandem columnam ignis, quæ eoſdem Iſdraelitas per noctem præcedebat, & ducebat ad terram Promiſſionis; ut inde myſticè doceamur, quod hujus columnæ illuminatione, ideſt meritis Chriſti Reſurgentis ducitur populus Chriſtianus ad terram Promiſſionis, cœleſtis ſcilicet patriæ.

(7) *Ex Cerei lumine lampades illuminantur; quia a Chriſto oritur gratia, & doctrina Apoſtolorum, qui ſunt lux mundi: & Chriſtus ipſe reſuſcitatus ſtatim accendit in Apoſtolis ignem Spiritus Sancti, quando inſufflavit, & dixit illis: Accipite Spiritum Sanctum.*

(8) *Quia non defertur oſculandus Celebranti.*

(9) *Sine titulo leguntur Prophetiæ: quia adhuc ſine capite Chriſto nondum viſo ab Apoſtolis videtur eſſe Eccleſia.* Rupert. *Leguntur autem Prophetiæ ad inſtructionem Cathecumenorum. Duodecim autem Prophetiæ leguntur; quia duodecim Apoſtolorum doctrina erudiuntur Cathecumeni.*

(10)

(10) *Cantantur orationes, quæ indicant deſideria & expectationes Sanctorum Patrum circa redemptionem per Chriſti Reſurrectionem.*

(11) *Cantantur Tractus; qui ſunt indicia quidem exultantium Cathecumenorum de proximo Baptiſmo, ſed non ſine timore, unde tractus luctus vocatur.* Gav.

CAPUT XIX.

Quæ agenda ſint in benedictione Fontium.

COmpletâ ultimâ Prophetiâ, ſi Eccleſia habeat Fontem Baptiſmalem, Subdiaconus accipit Crucem proceſſionalem, Ceroferarii Candelabra accenſa, & alter Acolythus Cereum Paſchalem. —— Accedunt omnes ad Altare in plano, ita ut Acolythus de Cereo ſit poſt Subdiaconum. —— Celebrans deponit Planetam & cum Miniſtris Manipulum, & accipit Pluviale. —— Præparatis opportune ſuper Credentiam ad Fontem Baptiſmalem unâ vel pluribus Mappulis, unâ vel pluribus Stolis violaceis, Vaſe aquæ benedictæ vacuo, & Aſperſorio, cum Vaſibus Oleorum: Chriſmatis nempe, & Cathecumenorum, cum Miſſali. —— Ordinatur Proceſſio ſic. —— Si prædicta omnia non fuerint prius

ſuper

ſuper Credentiam præparata. —— Primò Acolythus deferens Mappulas, Stolas, & Vas aquæ benedictæ vacuum. —— Alter a dextris ejus deferens Miſſale & alia. —— Deinde alius cum Cereo Paſchali, quem tenet ambabus manibus. —— Tum Subdiaconus paratus cum Cruce proceſſionali, medius inter duos Ceroferarios cum cereis accenſis. —— Poſtea Clerici bini & bini. —— Ultimo loco Sacerdos tecto capite, & junctis manibus, a ſiniſtris cujus nudo capite Diaconus & junctis manibus. —— Omnes antequam diſcedant genuflectunt Cruci, excepto Celebrante, Subdiacono, Ceroferariis, & Acolytho deferente Cereum Paſchalem (1). —— Illi quatuor, nec genuflectunt, nec ſe inclinant, Celebrans verò Cruci ſe ſe inclinat. —— Cantores eundo inchoant Tractum: *Sicut Cervus deſiderat*, quem Chorus proſequitur de more. —— Cum pervenerint prope Fontem, Subdiaconus cum Ceroferariis ſiſtit ſe, ita ut Fons ſit inter ſe & Celebrantem, ad quem habeat faciem converſam. —— Diaconus ſtat paulo poſt Celebrantem, a dextris tamen ipſius. —— Prope ipſum a dextris Acolythus geſtans Cereum, cum altero ferente Mappulam a ſiniſtris. —— Finito Tractu, Celebrans dicit juxta fontem, mediocri voce: *Dominus vobiſcum*, & orationes ut in Miſſali, manibus junctis (2). In fine orationis extollit vocem

can-

cantando: *Per omnia ſæcula ſæculorum*. — Deinde proſequitur Præfationem in tono ut in Miſſali (3), — cum cantaverit illa verba: *Sumat unigeniti tui gratiam de Spiritu Sancto*, extendens manum in Fontem, dividit aquam in modum Crucis (4), — dicens: *Qui hanc aquam*, manu ſtatim linteo abſterſa; quod miniſtratur a Diacono. — Proſequens cantum, ad illa verba: *Non inficiendo corrumpat*, aquam manu tangit (5). — Inde proſequitur, & poſt verba: *Indulgentiam conſequatur*, extendens manum facit tres Cruces ſuper Fontem (6). — Poſt autem illa verba: *Cujus ſpiritus ſuper te ferebatur*, manu aquam dividit, & effundit eam verſus quatuor mundi partes (7). — Abſterſis inde manibus, & reaſſumpto cantu proſequitur uſque ad *Baptizantes eos*, — quo cantato mutat vocem (8), & proſequitur in tono lectionis: *Hæc nobis præcepta*. — Dictis verbis: *Tu benignus aſpira*, halat ter in aquam (9) — in modum Crucis, dicens: *Tu has ſimplices*, — poſt illa verba: *Purificando mentibus efficaces*, Sacerdos, adjuvante Diacono, accipit Cereum, & immittit paululum in aquam, & reſumens tonum Præfationis, dicit: *Deſcendat in hanc plenitudinem fontis virtus Spiritus Sancti*. — Deinde extractum Cereum de aqua, iterum profundius mergit, repetens aliquantum altiori tono eadem

I

dem verba : *Deſcendat*. —— Poſtea Cereum rurſus de aqua extractum , tertiò immergens profundius , voce adhuc altiori repetit : *Deſcendat* (10) . —— Deinde ſufflans ter in aqua (11) , ſecundum hanc figuram Ψ proſequitur : *Totamque hujus aquæ ſubſtantiam regenerandi fœcundet effectu*. —— Quo cantato tollet Cereum de aqua , & proſequitur : *Hic omnium* , cujus concluſionem dicit legendo , ut in Miſſali. —— Completa benedictione , antequam Celebrans infundat Olea in aquam , unus vel plures Sacerdotes cum Stolis violaceis accipiunt Aſperſoria , & aſpergunt circumſtantes aquâ benedictâ nihil dicentes (12) . —— Sacriſta mittit de ipſa aqua in aliquod vas amplum , eamque reſervat pro aſperſione domorum & aliarum rerum die ſequenti . —— His peractis Sacerdos infundit de oleo Cathecumenorum in aquam baptiſmalem in modum Crucis , intelligibili voce dicens : *Sanctificetur &c.* —— Deinde infundit de Chriſmate , modo quo ſupra , dicendo eâdem voce : *Infuſio Chriſmatis* . —— Ultimò accipiens ambas ampullas dicti Olei & Chriſmatis , de utroque ſimul in modum Crucis infundens , dicit : *Commixtio Chriſmatis &c.* (13) —— Miſcet deinde ipſa Olea cum aqua , & ſpargit manu ſua per fontem , & extergit diligenter manus ſuas . —— Si qui ſint baptizandi accedit ad fores Eccleſiæ , & cum ipſis ea per-

peragit quæ præſcribit Rituale Romanum, ducenſque illos ad Fontem, pauló ante Baptiſmum deponit paramenta violacei coloris, & ſumptâ Stolâ & Pluviali (ſi ſit conſuetudo) albi coloris eos baptizat, completoque Baptiſmate, paramenta violacea denuo aſſumit (14).

MYSTICÆ EXPOSITIONES.

(1) *Regulariter Cereus fertur in hac Proceſſione, ſed congruentius præſente Pontifice; nam apud Utopienſes, loco baculi Paſtoralis, ante Epiſcopum præferri ſolebat; forte ut ſcirent quocumque ſe contulerint cæteris in ſanctitate & vitæ puritate prælucere debere.* Novarin. Schediaſm. l. 1. c. 28. num. 137.

(2) *Præmittit orationem ante benedictionem Fontis, quaſi Deum invocans, a quo omnis procedit benedictio, ut ſit capax tanti Myſterii.* Dur. 26. cap. 28. num. 3.

(3) *Movet in Præfatione adſtantes in Deum corda levare ad eundem finem ut Deus audiat.* Gav.

(4) *Dividit aquam in formam Crucis, a qua Baptiſmi pendet effectus.* Gav.

(5) *Aquam manu tangit, quo ritu ſignificatur aſſiſtentia Spiritus Sancti; qua territi ſpiritus maligni abſcedunt & aquæ natura vim ſanctificationis concipit; ſiquidem per impoſitionem manuum conferebant Apoſtoli virtutem Spiritus Sancti.*

ſti. Quart. *Tangit ſimpliciter aquam, quia manu Sacerdotali opus eſt etiam in Baptiſmo ad fugandos Dæmones*. Gav.

(6) *Pluries Sacerdos facit Crucis ſignum ſupra Fontem quem benedicit, ut omnem virtutem Baptiſmi ex Paſſione, & Cruce Chriſti emanare ſignificet*. Quart. *Facit manu varias Cruces ſuper aquam, ut benedicatur a Trinitate per virtutem Sanctæ Crucis*. Gav.

(7) *Effundit aquam verſus quatuor mundi partes, ut invitentur ad Baptiſmum omnes nationes totius mundi, ad diferentiam Circumciſionis, quæ pro ſolis Hebreis fuerat inſtituta*. Quart. Gav.

(8) *Mutat ter vocem, primò per modum Orationis, ſecundò per modum Præfationis, tertiò per modum Lectionis; ut in Trinitate omnia fiant & modo humilius, modo audentius Deus oretur*. Gav.

(9) *Halat ſuaviter in aquam, ad ſignificandum fidelem facile Diabolum poſſe abigere; levi enim flatu poteſt repelli ab illo, qui in Domino confidit*. Jo. Beleth. *Halat ter in modum Crucis, & ſufflat ter in modum cuſpidis ut cum Cruce Trinitatem conjungat à quibus habet vim Baptiſmus; majorem autem a Trinitate; valet etiam inſufflatio ad expellendos Dæmones cum ignominia, qui levi flatu expelli queunt a Sacerdote*. Gav.

(10) *Immergitur Cereus in aquam ut ſignificetur per Corpus Chriſti, quod in Cereo figu-*

figuratur, aquam fuiſſe ſanctificatam, & vim regenerationis accepiſſe, quando ipſe Chriſtus in ſuo Baptiſmo deſcendit in aquam Jordanis. Quart. *Demittit Cereum in aquam, & elevat ter, profundè, profundius, profundiſſimè, ut Spiritus Sanctus ſua plenitudine fontem impleat, ſicuti quando deſcendit in ſpecie columbæ in Baptiſmo Chriſti, adumbrati in hoc Cereo demerſo in aquam: elevatio autem ejuſdem Cerei ſignificat effectum Baptiſmi, qui confert gratiam elevantem de peccato ad gloriam.*

(11) *Ter ſufflat in aquam ut deſcendat virtus Spiritus Sancti in Baptiſmum, ad exemplum Chriſti qui inſufflans dixit: accipite Spiritum Sanctum. Ideo autem ter inſufflat, quia Spiritus Sanctus tria in baptiſmo operatur; purgat enim a vitiis & peccatis, virtutibus ornat, & perſeverantes coronat.* Quart.

(12) *Ante Oleorum infuſionem aſperguntur aqua Fideles in Eccleſia & in domibus ad munditiam Baptizatorum.* Gav.

(13) *Fit admixtio Olei & Chriſmatis cum aqua; quia in Baptiſmo Fideles populi per aquam ſignificati uniantur & incorporantur Chriſto per Chriſma & Oleum figurato.* Quart.

(14) *Nota, quod in benedictione quæ eſt per Patrem ponuntur ac recoluntur quinque miracula ante adventum Filii in aqua facta, per illa verba Præfationis explicata;*

ta ; primum eſt qui verbo ſuo ſeparavit ab arida : ſecundum : cujus ſpiritus ferebatur ſuper aquas ; tertium : qui te de Paradiſo manare præcepit ; quartum qui te in deſerto amaram ſuavitate nitida fecit eſſe potabilem ; quintum : & ſitienti populo de petra produxit. Similiter in benedictione, quæ eſt per Filium alia quinque miracula in ipſa aqua facta per Filium in carne ponuntur ; primum qui te in Cana Galileæ mutavit de aqua in vinum ; ſecundum qui pedibus ſuper te ambulavit ; tertium qui in te a Joanne baptizatus eſt ; quartum qui te una cum ſanguine de latere ſuo produxit ; quintum qui per te omnes gentes a Diſcipulis baptizari præcepit ......

Notandum obiter ; Cerei benedictionem, ex eo quod a Diacono peragendam dixerim , non perinde inferri , non poſſe etiam fieri a Sacerdotibus , ornamentis Diaconalis ordinis indutis, & Diaconi officium facientibus. Illud enim ex antiqua Eccleſiæ Romanæ traditione obſervandum eſt , a Diacono Cereum Paſchalem benedici , quamvis tempore S. Gregorii , ut ex lib. 9. Epiſtolarum , in Eccleſia Ravennenſi ab Epiſcopo haberetur hujuſmodi ſolemnis , ni potius ſolemniſſima benedictio. Cur autem potius a Diacono , quam a Sacerdotibus intereſſentibus , vel ab Epiſcopo præſente Paſchalis Ce-

Cereus benedicatur, videatur Dubium ſextum in ſecundo Tomo Dubiorum meorum.

Secundum antiquam Eccleſiæ praxim Cereus Paſchalis floſculis ſericeiſque vittis ornabatur, & alicubi etiam inauratus, picturis, & ſymbolis redimitus proferebatur; nempe, Reſurrectionis Dominicæ, apparitionum Mariæ Magdalenæ ac Apoſtolis redivivi Redemptoris. Inſuper aliquibus in Eccleſiis ipſimet tabella appendebatur concinne ornata, in qua præcipua Redemptionis noſtræ inſcripta myſteria recenſebantur, & feſta ejus anni indicabantur poſt græcas litteras A & Ω principium & finem de Deo ſignificantes; ut videre eſt in tabella Cereo Paſchali Eccleſiæ Rotomogenſis appoſita anno 1678., hujuſmodi tenoris.

Annus ab origine mundi 5698.

Annus ab univerſali Diluvio 4033.

Annus ab Incarnatione Domini 1678.

Annus a Paſſione ejuſdem 1625.

Annus a Nativitate B. M. V. 1692.

Annus ab Aſſumptione ejuſdem 1628.

Annus Indictionis 1.

Annus Cycli Solaris 7.

Annus Cycli Lunaris 7.

Annus præſens a Paſcha præcedente uſque ad Paſcha ſequens eſt communis abund.

Epacta. 7.

Aureus numerus. 7.

Littera Dominicalis. B

F *Lit-*

Littera Martyrologii . g

Terminus Paſcha . 17. *Aprilis* .

Dies Paſcha . 10. *Aprilis* .

Luna ipſius . 5. *Aprilis* .

Annotinum Paſchale . 18. *Aprilis* .

Dies Rogationum . 16. *Maii* .

Dies Aſcenſionis . 19. *Maii* .

Dies Pentecoſtes . 29. *Maii* .

Dies Eucharistia . 9. *Junii* .

Dominica a Pentecoſte uſque ad Adventum 25.

Dominica prima Adventus 27. *Novembris* .

Littera Dominicalis Anni ſequentis . A

Annus ſequens eſt 1679. *communis ord.*

Littera Martyrologii Anni ſequentis T

Dominica a Nativitate Domini uſque ad Septuageſimam Anni ſequentis 4.

Terminus Septuageſima Anni ſequentis 11. *Februarii* .

Dominica Septuageſima anni ſequentis 29. *Januarii* .

Dominica prima Quadrageſima anni ſequentis 19. *Februarii* .

Dies Paſcha anni ſequentis . 2. *Aprilis* .

Annus ab inſtitutione S. Mellonii . 1419.

Annus a tranſitu ejuſdem . 1368.

Annus ab inſtitutione S. Romani . 1032.

Annus à tranſitu ejuſdem . 989.

Annus ab inſtitutione S. Audœni . 1046.

Annus a tranſitu ejuſdem . 1033.

Annus a Dedicatione hujus Eccleſia Metropolitana . 614.

Annus

Annus ab inſtitutione Rollonis primi Ducis Normanniæ. 766.

Annus a tranſitu ejuſdem. 760.

Annus a coronatione Guillelmi primi Ducis Normanniæ in Regno Angliæ. 604.

Annus ab obitu ejuſdem. 590.

Annus a reductione Ducatus Normanniæ ad Philippum II. Franciæ Regem. 474.

Annus ab alia reductione Ducatus Normanniæ ad Carolum VII. Franciæ Regem.

Annus Pontificatus SS. Patris & D. D. Innocentii Papæ XI. 2.

Annus ab inſtitutione R. Patris & D. D. Franciſci IV. Archiepiſcopi Rotomagenſis, & Normanniæ Primatis. 7.

Annus a Nativitate Chriſtianiſſimi Principis Ludovici XIV. Franciæ & Navarræ Regis. 40.

Annus Regni ipſius. 35.

Conſecratus eſt iſte Cereus in honore Agni immaculati, & in honore glorioſæ Virginis ejus Genitricis Mariæ.

Tabula inſcriptionis hujuſmodi in Eccleſia Metropolitana Rotomagenſi in loco Cerei Paſchalis, ipſo ſublato, poſt Aſcenſionem, affixa conſervabatur pro tabula annuali divinorum officiorum, ut videre eſt in ſubſequenti, quam ex Edmundi Martene in Tractatu de antiqua Eccleſiæ diſciplina in divinis celebrandis officiis, inſcriptione ad majorem legentium eruditionem trado; quæ ſic ſe habet.

Tabula annualis pro Eccleſia Remenſi anno Domini 1585.

Benedictus eſt hic Cereus in honorem & laudem Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivit & regnat Deus in ſæcula ſæculorum, Amen,

Annus ab origine Mundi juxta Hæbreorum ſupputationem V. M. V. C. LIX.

Annus ab Incarnat. Dom. M.V.C.LXXXV.

Annus a Paſſione ejuſdem M. V. C. LII.

Annus a Nativitate *B. Virginis Mariæ* M.V. C. LXXXXIX.

Annus ab Aſſumpt. ejuſd. M.V.C.XXXVI.

Annus Calendarii Gregoriani Reformati IV.

Littera Dominicalis uſque ad Circumciſionem eſt F, *& deinceps toto ſequente anno erit* E.

Aureus numerus eſt 9., *anni vero ſequentis eſt* 10.

Epacta eſt 29., *& anni ſequentis eſt* 10.

Epacta eo ipſo die, cui reſpondet in Calendario, novam lunam in ſingulis menſibus indicat.

Epacta lunæ Paſchalis ſemper quærenda eſt inter octavam diem Martii & quintam Aprilis.

Dies Paſcha hoc anno incidebat in 14. *Aprilis; ſed ne Judæos ſequi videamur, differtur in* 21. *diem. Anno ſequenti erit* 6. *Aprilis.*

Annus Cycli ſolaris XXVI.

Annus Indictionis XIII.

Annus

Annus Pontificatus Sanctiſſimi D. D. Papæ Gregorii XIII. eſt 13.

Annus a converſione & Baptiſmo Clodovæi primi ex Francorum Regibus Chriſtianam fidem complexi MLXXXVI.

Annus ætatis Chriſtianiſſimi noſtri Regis Henrici tertii XXXIV.

Annus Regni ejuſdem undecimus.

Annus Archiepiſcopatus Reverendiſſimi D. D. Ludovici a Guiſia XI.

Quædam alia particularia in ſingulis Eccleſiis adſcribi poſſunt & ſolent, vel pro ſcriptoris arbitrio, vel pro locorum conſuetudine, Eccleſiaſtica tamen omnia, & gravia, ſcituque digna eſſe debent. Edmund. Martene Tract. de antiq. Eccleſ. diſcip. in Divin. celeb. off. eap. XXIV. de Sabbato Sancto num. VII.

CAPUT XX.

Quæ agenda ſint in Litaniis, & in Miſſa ſolemni.

POſt benedictionem Fontis Baptiſmalis, vel ubi fons non eſt: completâ ultimâ Prophetiâ cum ſua oratione, Sacerdos deponit Caſulam, & cum Miniſtris in Albis ante Altare procumbit, depoſitis ab his ſuis reſpectivè Plicatis, ſi iis uſi fuerint: ante Altare genuflexi procumbunt, ſuperponentes capita ſua Cuſ-

ſinis opportunè præparatis a Sacriſta ſeu Cæremoniario. —— Duo Cantores genuflexi inchoant Litanias, cæteris de Choro genuflexis, & reſpondentibus ea omnia, quæ a Cantoribus dicuntur (1). —— Cum perventum fuerit ad verba: *Peccatores*, Celebrans & Miniſtri ſurgunt, & factâ Cruci Altaris debitâ reverentiâ, ſumptiſque Biretis, eo modo quo ſunt, procedunt in Sacriſtiam, vel retro Altare, ibique depoſitis paramentis violaceis, ſumunt paramenta alba pro Miſſa ſolemni. —— Prope finem Litaniarum accenduntur Candelæ Altaris; removetur pallium, & velum tabernaculi violaceum, deteguntur immagines Sanctorum per Eccleſiam, quæ a nonnullis deteguntur, & benè quidem ad precationem: *Omnes Sancti & Sancta Dei*. —— Celebrans & Miniſtri parati procedunt ad Altare, ut in Miſſa ſolemni, poſito prius incenſo in Thuribulo. —— Cum ad Altare pervenerint, & non prius, cantatur in Choro ſolemniter *Kyrie eleiſon* cum pauſa convenienti, ut Sacerdos poſſit & Confeſſionem facere, Altare thurificare, & *Kyrie eleiſon* ſine Introitu cum Miniſtris ſacris dicere, antequam terminetur in Choro (2). —— Completo ultimo *Kyrie eleiſon* (3) ſi adſint Cantores præintonant Celebranti *Gloria in excelſis Deo* (4), —— quæ dum in tono ſolemni cantatur a Celebrante, pulſantur organa & omnes

cam-

campanæ feſtiviter, dummodo in Eccleſia Cathedrali vel Matrice pulſatæ ſint; quod ſi forte adhuc pulſatæ non fuerint, pulſantur tantum campanulæ quæ ſunt in Eccleſia & Cappellis deſervientes ad elevationem Sacramenti (5). — Cantatâ Epiſtolâ a Subdiacono, ipſe oſculatur manum Celebrantis, & ab eo accipit benedictionem. — Deinde non prius ipſe Celebrans gravi voce, præintonato ſibi a Cantoribus, cantat in cornu Epiſtolæ *Alleluja*, ſtantibus omnibus in Choro, idemque ter decantat, in unaquaque vice vocem gradatim elevando, quod Chorus ſimiliter facit ad ſingulas vices reſpondens *Alleluja*, illudque ter repetens (6). — Eo cantato, & dicto a Celebrante Tractu *Confitemini* (7); in medio Altaris dicit; *Munda cor meum* (8). — Ad Evangelium non deferuntur a Ceroferariis Luminaria (9). — Defertur tamen Incenſum, & cætera omnia fiunt ut in aliis Miſſis (10). — Non dicitur Credo (11), — nec Offertorium (12), cantatur *Sanctus* de more (13), — *Agnus Dei* non dicitur (14), nec datur oſculum pacis (15). — Non dicitur Poſtcommunio (16). — Dum Celebrans poſt communionem ſe purificat, in Choro a digniori, præintonatam a Cantore, cantat Antiphonam *Alleluja* pro Veſperis, quam Chorus proſequitur cum Pſalmo *Laudate Dominum &c.* — Celebrans

lebrans ſumpta ablutione, loco Antiphonæ, quæ dicitur Communio, ſubmiſſa voce dicit prædictam Antiphonam *Alleluja* cum prædicto Pſalmo, quæ omnia dicit cum Miniſtris ſacris (17). — Antiphonâ repetitâ poſt Pſalmum, præintonatur Celebranti a Cantoribus Antiphona: *Veſpere autem Sabbati* (18), quam Chorus proſequitur, & cum Celebrante Miniſtri Sacri ſimul cum Cantico *Magnificat*, & repetitione eiuſdem Antiphonæ in fine. — Intonato in Choro Cantico, *Magnificat*, Sacerdos in medio Altaris ſe ſignat, & alii cum eo, imponit incenſum in Thuribulo, — incenſat Altare more ſolito. — Ipſe incenſatur in cornu Epiſtolæ, ut in Miſſa. — Cæteri omnes de Choro in ſuo loco incenſantur. — Deinde Miniſter, ſi adſit, ad Altare incenſatur. — Diaconus & Subdiaconus unuſquiſque in loco ſuo. Tandem Sacerdos proſequitur ultimam orationem Miſſæ, dicto prius in medio Altaris *Dominus vobiſcum*, ac cætera prout in Miſſali (19).

MYSTICÆ EXPOSITIONES.

(1) *Litaniæ cantantur poſt Fontis Baptiſmalis benedictionem, & Baptiſmi collationem, quibus ſignificatur conſortium Sanctorum cum nuper Baptizatis.* Gav.

(2) *Non dicitur in Miſſa Introitus, qui eſt caput Miſſæ; eo quod ille qui eſt caput, & prin-*

& principium noſtrum ſublatus eſt, & in ſepulchro ſilet, & nocte reſurrectionis, licet reſurrexiſſet, tamen a ſuis neſciebatur; unde cum Maria Magdalene invenit monumentum vacuum, credidit eum ſublatum eſſe. Jo. Beleth. *Niſi dicamus cum* Ugon Vict. *&* Gav. *quod Prophetiæ quæ præmittuntur ſunt loco Introitus in hac Miſſa.*

(3) *Incipit autem Miſſa a Kyrie eleiſon, ad recolendum morem ante Cæleſtinum Papam, quando in Miſſa non dicebatur Introitus, ſed a Kyrie incipiebat.* Dur.

(4) *Cantatur Gloria in excelſis Deo, quia Angeli ob renatos Baptiſmate & Neophitos in cœlis gloriantur, qui Domino jam nato hunc Hymnum decantaverunt.* Jo. Beleth, *vel quia reſurrectio Chriſti proxima eſt, vel quia pax data eſt renatis, quæ ab Angelis nuntiata eſt in nocte nativitatis; cum ergo ipſi ſint renovati gratiâ poſſunt cantare cum Angelis, vel quia reſurrectio Chriſti proxima eſt, ideo dicitur iſte Angelicus cantus & cum ipſis Angelis chorus exultat perſonanti melodia*, Durand.

(5) *Pulſantur Campanæ, quæ fuerunt mutæ; quia Neophiti ad veræ Fidei confeſſionem ora aperiunt.* Durand. *ad eos enim Collecta, Deus, qui hanc Sacratiſſimam noctem, & Epiſtola referuntur.*

(6) *Alleluja cantatur, quæ Angelica vox eſt, quia Angeli lætantur ſuper Baptiza-*

tis, ex ſervitute diaboli ereptis & ad fidem converſis. Jo. Beleth. Dur.

(7) *Dicitur Tractus poſt Alleluja, & ecce gaudium Paſchale, ſed non plenum, quia Tractus luctum ſignificat*. Gav.

(8) *Graduale non dicitur, quia Baptizati, nulla adhuc opera, nullumque gradum in virtutibus fecerunt*. Jo. Beleth.

(9) *Ad Evangelium non portantur luminaria; primò quia ille qui eſt lumen nondum nobis redditus eſt; quoniam ejus reſurrectio nondum erat manifeſta, immo adhuc credebatur in Sepulcro latere; ſecundò quia mulieres Chriſtum non Deum, ſed ſolummodo mortalem eſſe credentes, occultè ſine lumine ibant ad Sepulcrum ut ungerent corpus Jeſu; tertiò ad denotandam cæcitatem cordis, ignorantium ipſum reſurgere poſſe; quartò ad notandum quod lux veritatis, quæ per accenſa luminaria deſignatur, animis infirmorum certitudinaliter non clarebat propter Domini ſepulturam*. Durand.

(10) *Incenſum tamen fertur in ſignum quod mulieres tulerunt aromata, ut ungerent Jeſum, vel ad notandum, quod orationis affectio, quæ per incenſum exprimitur animis infirmorum non deerat*.

(11) *Non dicitur Credo, ut per hoc infirmorum animorum dubitatio denotetur*. Dur. *vel quia nondum Apoſtoli credebant reſurrectionem*. Gav.

(12) *Non dicitur Offertorium; primò quia mu-*

mulieres ferentes aromata tacitè ad monumentum venerunt, & juxta Sepulcrum ſtabant cum ſilentio, & voce compreſſa. Jo. Beleth. Dur. *Secundò quia nondum ſurrexit, qui dat nobis, quod offerre poſſimus.* Dur.

(13) *Cantatur Sanctus; quia eſt Canticum Angelorum, qui nihil timentes in ſepultura Domini, ejus Reſurrectionis habuerunt myſterium, & aliis annuntiaverunt.* Dur.

(14) *Non dicitur Agnus Dei, quia Chriſtus nondum credebatur Redemptor animarum ad tollenda peccata mundi.* Gav. Dur. *Tum quia nondum reſurrexit, quod ipſi ſcirent, qui in die reſurrectionis ſua Diſcipulis dixit: Pax vobis.* Dur.

(15) *Non datur oſculum pacis in deteſtationem oſculi proditoris Juda; vel quia Chriſtus pax vera nondum pacem nuntiavit.*

(16) *Non dicitur Poſtcommunio; primò ad notandum, quod non erat tunc qui in fide Chriſti communicarent; ſecundo quia Baptizati nondum communicaverunt, ſed in die Paſcha communicari debent; tertiò quia nondum ſurrexit, qui nobis dat quod communicemus; quarto, quia Veſpere qua ſequuntur vicem obtinent Poſtcommunionis.*

(17) *Breviſſima Veſpera dicuntur, qua quaſi non ſunt veſpera, quia Sabbatum eterna quietis, quod per hoc Sabbatum figuratur, nullam habet Veſperam, ut ait* Durand.

(18) *Cantatur Antiphona, Veſpere autem Sabbati, in qua de ſollicitudine mulierum circa Domini Sepulchrum, & de miniſterio Angelorum, & de Reſurrectione Salvatoris agitur, quia uſque nunc fuit Sacrificium Neophitorum, ſed de hinc Reſurrectio ad memoriam revocatur.* Durand.

(19) *Veſpera ante ultimam Miſſæ orationem decantantur, ut quaſi demittatur populus, quia, ut ait Hyeronimus, antiquitus, ex probata Apoſtolorum traditione, ante noctis Paſcha medium, non dimittebatur populus, cum autem illud noctis officium, nunc præcedenti hoc Sabbato celebretur, ut dictum eſt, dimittitur populus in fine Miſſæ.* Durand.

CAPUT XXI.

Quæ agenda ſint in Completorio Sabbati Sancti.

Vox hæc Completorium; primò reperitur in Regula S. Benedicti Abbatis, & Monachorum Patriarchæ cap. 42. Iſidorus libro primo de officiis cap. 21. vocat illud Completam, vel quia in Completorio ſumma eſt perfectio divinorum officiorum, ut ex Amalario de ordine Antiphonarum cap. 7., vel quia completur dies ſervitutis noſtræ, ex Gemma libro 2. cap. 64.

vel quia in illa completur divinum officium, ut ait Beda in libro Meditationum Paſſionis Chriſti.

Completorium ergo hujus diei, majori quidem cum celebritate & ſolemnitate quam quocumque alio die celebrandum eſt; videlicet pluribus cum luminibus, cum Hebdomadario, & Cantoribus, prætioſioribus indutis paramentis ob lætitiam Reſurrectionis Domini noſtri & Liberatoris Jeſu Chriſti, qui de morte victoriam reportando, vivus ab inferis reſurrexit. Dicto igitur: *Jube Domne benedicere, &c.* cum benedictione: *Noctem quietam, &c.* (1) & lecta Lectione (2) *Fratres ſobrii eſtote, & vigilate* cum verſiculo in fine: *Adjutorium noſtrum in nomine Domini, &c. cum Pater noſter*, ſecreto, facta confeſſione (3) & abſolutione de more dicitur verſus Pſalmi: *Converte nos Deus* (4), inde *Deus in adjutorium* (5) cum *Gloria Patri, &c.* (6) & in fine *Alleluja*, ſine Antiphona (7) dicuntur Pſalmi conſueti (8). Capitulum, Verſiculi, & Hymnus non dicuntur (9); ſed annunciatâ ad inſtar ſemiduplicium Antiphonâ: *Veſpere autem, &c.* cantatur Canticum *Nunc dimittis* (10): quo cantato repetitâ totâ Antiphonâ dicitur oratio: *Viſita, &c.* & in fine Completorii Antiphona: *Regina Cœli*, quæ toto tempore Paſchali dicitur ſtando non genuflectendo.

MYSTICÆ EXPOSITIONES.

[1] *Noctem quietam; quia parandus eſt locus in quo ſpiritus cum Deo quieſcat, & contra fraudes dæmonum armandi ſumus ante noctem, de quorum capite in lectione brevi dicitur: Circuit quærens quem devoret.*

[2] *Lectio brevis ortum habuit a lectione, ad quam horâ Completorii conveniebant, præſertim Monachi, ideoque præponitur, quia finito Completorio per preces, ſtatim dormitum ibant.*

[3] *Facta Confeſſione; Confeſſio aptè fit, ut quidquid in die commiſimus diluamus:* Gemma l. 2. cap. 64. *& alterna confeſſione mundemur.* Hugo in Specul. l. 3.

(4) *Converte nos Deus: hoc officium ſane incipit præter morem aliorum officiorum ab illo pſalmi: Converte nos Deus, quia cum tota die pſalmodiæ inſiſtimus pene impoſſibile eſt quin aliquem pulverem ſuperbiæ contraxerimus, & quia ſæpe erramus, juxta illud: erravi ſicut ovis quæ periit; inde eſt quod nos humiliantes dicimus: Converte nos Deus. Præterea cum quilibet, quantumlibet perfectus & bonus, æſtimare ſe debeat imperfectum ſive inſipientem, juxta illud: Juſtus accuſator ſui eſt, ideo dicit Sacerdos: Converte nos Deus.* Durand. lib. V. de Completorio cap. 19.

(5) *Deus in adjutorium: Invocamus divinum*

vinum adjutorium, ut Converte nos, referatur ad præterita mala tollenda, & Deus in adjutorium; quia ſine Dei adjutorio quidquam boni facere non valemus. Durand. ibid.

(6) *Cum Gloria Patri; quia totum ad laudem Trinitatis faciendum eſt; ideo ſequitur Gloria Patri.* Durand. ibid.

(7) *Sine Antiphona; nam Alleluja feſtivum, poſt Gloria Patri ſupplet loco Antiphonæ.* Durand. ibid.

(8) *Dicuntur pſalmi conſueti; nempe quatuor pſalmi ad obtinendam remiſſionem peccatorum quæ commiſimus, dum ſumus in hoc corpore ex quatuor humoribus ſeu elementis compoſiti.* Durand. ibid.

(9) *Capitulum, Verſiculi, & Hymnus non dicuntur; Hymni hac die Sabbati Sancti, immo & per octo dies non cantantur, quoniam in reſurrectione non cantabimus Hymnos hujuſmodi, ſed in plateis Hyeruſalem cantabimus Alleluia, ut* Tobiæ 13. *; ideo loco Hymni cantatur Alleluia, propter ſpem quam habemus de glorioſa reſurrectione;* Michael Gaetenſis Tract. 3. quæſt. 94.

(10) *Cantatur Canticum Nunc dimittis; Canimus autem in hac hora Canticum Simeonis, ſcilicet, Nunc dimittis, ut illius exemplo pacem invenientes, mereamur videre lumen quod eſt Chriſtus.* Durand. loc. citat. *Et quia Completorium eſt commendatio animæ quaſi migrantis e cor-*

e corpore per ſomnum ; ideo Canticum Simeonis additur, quod maximè congruit ; pacem enim & lucem a Deo optamus. Durand. ibid.

CAPUT XXII.

Quæ Functiones Sacræ, Hebdomadæ majori peragi poſſint in publicis Oratoriis, atque in Confraternitatibus Laicorum.

QUoniam hiſce noſtris temporibus pene in infinitum multiplicata ſunt Pubblica Deo Sanctiſque dicata Oratoria, & Confraternitates Laicorum, in quibus vel Domini ipſorum, vel harum Confratres, & Proviſores ſæpe ſæpius magnificantes fimbrias ac filacteria dilatantes in Parochorum præjudicium nonnulla attentare ſolent, prætertim vero Hebdomada majori. Ideo opere prætium duxi pro Coronide libercul i hujus illa referre, quæ in ipſis tum Oratoriis cum Confraternitatibus laicorum fieri, vel non fieri poſſint ut omnis altercationis lapis removeatur, & pax ſit inter Parochos & Confraternitates, & Dominos Oratoriorum hujuſmodi. Dico ergo.

Primo non licere in Oratoriis pubblicis, publicè Ramos Olivarum ſeu Palma-

rum benedicere ſicuti, neque Candelas in die feſto Purificationis B. M. V., nec Cineres Feriâ quartâ in principio ſacroſancti Quadrageſimalis Jejunii. Licere tamen Oratoriorum Rectoribus tum Ramos Olivarum, cum Candelas & Cineres etiam, benedicere ſed in privato, ipſoſque benedictos populo ad miſſam confluenti diſtribuere; cum unuſquiſque ſua donandi Dominus ſit, & per eorum diſtributionem non vulneretur Parochorum juriſdictio, ſicuti in ſolemni eorum benedictione inficeretur. In Confraternitatibus tamen Laicorum licet lectam celebrare Miſſam, pubblice Ramos benedicere, & Confratribus diſtribuere; non tamen cum Miſſa in cantu & ſolemni. Quæ itidem in pubblicis Oratoriis prohibita eſt.

Secundò non licere in pubblicis Oratoriis, & Confraternitatibus quantumvis inſignibus, neque in iis Eccleſiis in quibus totius anni curſu non aſſervatur Divinum Sacramentum, niſi ſpeciale adſit privilegium, vel immemorabilis ſuffragetur conſuetudo, Feriâ V. in Cœna Domini ſolemnem Miſſam cantare, & Sacramentum, ut ajunt, in Sepulchro reponere, & per conſequens nec Feriâ VI. in Paraſceve licitum erit, ſed omnino prohibitum in hujuſmodi Oratoriis, Confraternitatibus, & Eccleſiis, de quibus ſupra, functionem ſacram peragere, neque cum cantu, neque lectam cum ſolo Sacerdote.

Ter-

Tertiò non licere ſed omnino prohibitum eſſe in hujuſmodi Oratoriis pubblicis, & Confraternitatibus Laicorum, aliiſque locis Feriâ V. in Cœna Domini Miſſam lectam celebrare, niſi de licentia Ordinarii, vel niſi ab immemorabili conſuetum fuerit unam tantum Miſſam lectam celebrare: ex comuniori Doctorum ſententia aſſerentium non licere hodie Sacerdotibus celebrare privatas Miſſas ob receptam conſuetudinem faciendi unum Sacrum ſolemne, in quo, exemplo Apoſtolorum, omnes Sacerdotes per manus Sacerdotis Celebrantis communicent: ſic *Francol. 1. part. de temp. Horar. Can. cap.* 40. ſic *Azzorius lib.* 10. *cap.* 24. *quæſt.* 5. *& patet ex Ordine Romano, ex Alcuino, ex Canone Soteris ſummi univerſalis Eccleſiæ Epiſcopi, ex praxi immemorabili Eccleſiæ, ex iteratis Sacræ Rituum Congregationis Decretis, præſertim verò de die* 27. *Septembris* 1608. cujus verba recenſeo ex *Pittonio Conſtitutionum Pontific. in deciſionibus ad Sacros Ritus ſpectantibus: Omnes de Clero, etiam Canonici, Eucharistiam ſumant de manu Celebrantis in Feria V. in Cœna Domini, ut apud Gavantum in Theſauro Sacrorum Rituum tom.* 1. *part.* 4. *lib.* 8. *ſub num.* 7. *& iterum in Manuali verbo, Canonicorum munera, & præſertim in Choro ſub num.* 48. *nec non ibidem Verbo Eccleſiaſtico ſub num.* 18. *ac referunt etiam Barboſa in ſumma, Verbo Communio ſacra ſub nume-*

ro

ro 6. Arnaud in Epitome part. 4. tit. 8. ſub num. 6. Biſſus in Hierurg. tom. 1. Verbo Communio Eucbariſtica ſub num. 383. pag. 213. Bauldry in Manuali Sacrarum Caremoniarum part. 4. cap. 9. art. 2. ſub numero 9. Clericatus de Sacrificio Miſſa initio operis Decreto 9., & ſic habetur in Caremoniali Epiſcoporum lib. 2. cap. 23. pag. 246. Excipe ab hac regula Confraternitates illas Laicorum, ſeu nocturnas, vulgò *Buche*, vel diurnas, in quibus fiat ex immemorabili, conventus Fratrum, vulgo *la Tornata*, in quibus tunc licet unam tantum lectam, vel alteram de licentia Ordinarii celebrare Miſſam, in quarum prima Confratres communicare ſolent.

Quarto non licere in publicis Oratoriis, neque in Confraternitatibus Laicorum, aliiſque locis, novum benedicere Ignem, neque Cereum Paſchalem, nec clam, nec multo magis publicè, & eo magis neque ſolemnem celebrare Miſſam, neque lectam, niſi de aliquo prædictorum conſtet privilegium, vel immemorabilis conſuetudo, vel Ordinarii licentia, neceſſitaſve ad conſecrandum pro Expoſitione Quadraginta Horarum, quæ reaſſumitur in Sabbato Sancto.

Quinto non licere publicis Oratoriis, Confraternitatibus Laicorum, aliiſque omnibus in Diœceſi Eccleſiis, quamvis inſignibus, & quantumvis privilegio exemptis, Sabato Sancto ad Hymnum Angelicum

cum *Gloria in excelſis Deo*, ubi permiſſum ſit, ut ſupra dictum eſt, Miſſæ ſacrificium celebrare, Campanas exteriores pulſare antequam ſignum datum fuerit in Cathedrali ſeu Matrice, *ex Decr. Concilii Lateranen. ſeſſ. 11. ſub Leone X.*, ſub pœna contrafacientibus centum ducatorum, ſed tali caſu pulſabuntur tantummodo quæ ſunt intra parietes Eccleſiæ: & dato deinde ſigno a Cathedrali ſeu Matrice, dabitur etiam (licet longe poſt *Gloria in excelſis Deo*) ſolemne ſignum ab omnibus aliis Eccleſiis cum Campanis majoribus, ſic *Sacra Rituum Congregatio die 19. Decembris 1516.*, ubi ſic lego: *Ut debitus honor Matrici Eccleſiæ reddatur, tam Regulares, quam alii Clerici ſeculares, etiam ſuper hoc Apoſtolicæ Sedis privilegio muniti, die Sabbati Majoris Hebdomadæ, antequam Campana Cathedralis vel Matricis Eccleſia pulſaverit, Campanam in Eccleſiis ſuis pulſare minime poſſint, & contrafacientes pœnam centum ducatorum incurrant, ut ſtatuit Leo X. in Bullario Romano apud Cherubinum Tomo I. Conſtitut. 22. quæ incipit: Dum intra &c.* Et hic nota per Matricem intelligi etiam Parochialem in Diœceſi, & ſi plures ſint Parochiales eam quæ aliis major eſt dignitate; nam ante Matricem hanc, non ſunt pulſandæ ullo modo Campanæ, *ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis die 9. Februarii 1608.*

Sexto non licere in Oratoriis publicis, Con-

Confraternitatibus Laicorum, nec uſlibi Miſſas privatas celebrare, *ex Decreto Sacræ Congregationis Rituum* 11. *Februarii*, & 11. *Martii*, quod apud *Pittonium* ſic lego: *In Sabbato Sancto celebrationes Miſſarum privatarum omnino probibeantur in quibuſcumque Eccleſiis, & Oratoriis privatis, non obſtante quacumque contraria conſuetudine, & unica tantum Miſſa Conventualis, una cum officio ejuſdem Sabbati Sancti celebretur.* Hinc corruit nonnullorum Auctorum opinio conſtanter tenentium poſſe in prædicto Sabbato Sancto dici Miſſas privatas, ſicut corruit opinio poſſe eo die præſente corpore dici Miſſam ſolemnem de Requiem, nam dies illa Miſſam propriam non habet, quæ eſt de nocte, & una tantum Miſſa Conventualis permittitur, ſub prohibitione alterius Miſſæ.

LECTORI BENEVOLO.

HÆc ſunt, eruditiſſime Lector, quæ ad Majoris Hebdomadæ Sacra rite peragenda in minoribus Eccleſiis obſervatu digna cenſuimus. Nemo tamen, *ut verbis utar Eruditiſſimi Guilelmi Durandi in Rationale Divinorum Officiorum libro VIII. cap.* 14. *Nemo tamen in hoc exiguo meo opere Divina Officia ſufficienter exiſtimet expoſita, ne forte opus extollendo humanum divinum improvide extenuetur Sa-*

cra-

cramentum. In Divinis namque Officiis tot & tanta ſunt involuta Myſteria ut nemo niſi per unctionem edoctus ea ſufficiat explicare. Quis enim novit ordinem cœli & ponit rationes ejus in terra? Scrutator quippe majeſtatis opprimetur a gloria. Ego vero non prævalens lippientibus oculis Solem in rota conſpicere tanti Myſterii majeſtatem, quaſi per ſpeculum in enigmate mihi viſus ſum intueri, nec penetrans ad interiora cænaculi, ſed præ foribus aſſidens in veſtibulo egi diligenter ut potui, non ſufficienter ut volui, cum in humanis nil ſit ex omni parte perfectum. Quocirca non ſolum benignum ſedulo imploro Lectorem, verum etiam liberum deſidero correctorem; Verum ſi quid forte laude dignum reperietur in eo, divinæ gratiæ penitus adſcribatur, nam omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens a Patre luminum, ſi quid vero indignum, inſufficientiæ deputetur humanæ. Hoc enim tam ex diverſis aliorum libellis & commentariis, more mellificantis apis, quam ex his quæ mihi divina gratia propinavit, fructuoſe collegi, & hanc doctrinam interno fluentem nectare, velut favum mellis in Divinis Officiis ſpeculari volentibus divino ſuffultus præſidio propinavi, hanc ſolum apud homines ex perpeſſo labore mercedem expectans ut apud miſericordiiſſimum Judicem pro peccatis meis devotas orationes effundant.

IN-

INDEX

Capitum hujus Operis.

CAPUT I.

QUæ præparanda ſint in minoribus Eccleſiis Dominicâ Palmarum pro benedictione Ramorum, Proceſſione, & Miſſâ ſolemni. Pag. 11
CAP. II. Quæ agenda ſint in Benedictione Palmarum, earumque diſtributione. 14
CAP. III. Quæ agenda ſint in Proceſſione Dominicæ Palmarum. 26
CAP. IV. Quæ agenda ſint in Miſſa ſolemni Dominicâ Palmarum. 30
CAP. V. Quæ præparanda, & quæ agenda in Matutinis tenebrarum. 38
CAP. VI. Quæ præparanda ſint Feriâ V. in Cœna Domini pro Miſſa ſolemni. 44
CAP. VII. Quæ agenda ſint in Miſſa & Proceſſione Feriâ V. in Cœna Domini. 46
CAP. VIII. Quæ peragenda ſint Feriâ V. in Cœna Domini pro Proceſſione Sanctiſſimi Sacramenti. 51
CAP. IX. Quæ agenda ſint in denudatione Altarium. 56
CAP. X. Quæ præparanda ſint ad faciendum Mandatum, ſeu lotionem pedum. 58
CAP. XI. Quæ agenda ſint in faciendo Mandato, ſeu lotione pedum. 60
CAP. XII. Quæ præparanda ſint pro officio Feriâ ſextâ in Paraſceve. 64

CAP.

CAP. XIII. *Quæ agenda ſint in officio Feriâ VI. in Paraſceve.* 67
CAP. XIV. *Quæ agenda ſint in denudatione & adoratione Crucis.* 74
CAP. XV. *Quæ agenda ſint in Proceſſione, & officio Feriâ VI. in Paraſceve.* 82.
CAP. XVI. *Quæ præparanda ſint Sabbato Sancto pro officio ejus diei.* 94
CAP. XVII. *Quæ agenda ſint in Proceſſione ad novum ignem benedicendum, & uſque ad Præconium Paſchale.* 101
CAP. XVIII. *Quæ agenda ſint dum cantatur Præconium, & leguntur Prophetiæ.* 107
CAP. XIX. *Quæ agenda ſint in benedictione Fontium.* 113
CAP. XX. *Quæ agenda ſint in Litaniis, & in Miſſa ſolemni.* 120
CAP. XXI. *Quæ agenda ſint in Completorio Sabbati Sancti.* 132
CAP. XXII. *Quæ Functiones Sacræ, Hebdomada majori peragi poſſint in pubblicis Oratoriis, atque in Confraternitatibus Laicorum.* 136

LAUS DEO.

Restauro del Libro
Badia di Cava
005651363